

DISTINCTIONIS QUARTAE

de vno, quod non verè dicitur de altero.

Ad 4.
D. Tho-
mas affir-
mat hanc
esse falsã:
Deus non
generat.

Ad quartũ variè respondetur. D. Thomas 1. p. q. 39. art. 4. ad tertiũ, affirmat illam propositionẽ, nẽpe Deus non generat, esse simpliciter falsam, id vero hoc argumento vult esse persuasum. Quando aliquis terminus habet supponere, & pro natura, & pro supposito, in quacũq; propositione nihil ponitur quod contrahat ipsum ad standũ pro supposito, siue persona determinate, intelligitur supponere pro natura, siue pro habente naturam vt sic, ac proinde quidquid de eo negatur, intelligitur remoueri à natura, siue à supposito prout est suppositũ talis naturæ vt sic, at hic terminus Deus habet supponere, & pro natura, & pro supposito, & in hac propositione, Deus non generat, nihil ponitur contrahẽs, aut determinãs illũ ad personã, sequitur vt ibi supponat pro natura, siue pro supposito diuinæ naturæ vt sic, ac proinde generatio remoueatũr à diuina natura, siue à supposito diuinæ naturæ, prout est suppositũ diuinæ naturæ. Quocirca apud D. Thomã hæc propositio, Deus non generat, est vniuersalis negatiua, continet enim hanc sententiam, Nihil habens diuinam naturam generat, quod est falsum.

Aureolus
affirmat
esse verã.
1. Argu.

Alijs placet, Hanc propositionẽ omnino esse verã, in quibus Aureolus apud Capreolũ. 1. 5. d. 4. q. 1. sic argumentatur. In hac propositione, Deus non generat, ille terminus, Deus, supponit pro essẽtia, vt tu asseris, igitur illa propositio est vera. Cõsecutio firma est, quoniam hæc propositio est vera, Diuina essentia non generat, vt definitũ, & decretũ est, extra de sũma Trin. cap. dãnã.

Secundũ.

Secundo, in hac propositione, omnis Deus generat, subiectũ supponit pro persona, igitur et in hac, Deus non generat. Cõsecutio patet, quoniam contradictoria supponunt pro eodem, cum igitur ille terminus Deus non supponat pro persona patris, sequitur vt supponat pro persona filij.

Tertium.

Tercio, Non generare est quiddã notionale, igitur contrahit subiectũ ad standum pro persona determinata, non pro persona patris vt patet: igitur pro persona filij, & spi-

ritus sancti. Antecedens hinc patet, quoniã affirmatio, & negatio sunt eiusdẽ generis, cum igitur generare sit notionale, sequitur vt non generare sit etiam notionale.

Durandus 1. d. 4. q. 2. pro eodem sic argumentatur. Quacũque verificantur de personis, verificantur de hoc termino, Deus, at non generare verificatur de personis, de filio. s. & spiritu sancto: igitur verificatur etiã de hoc termino Deus.

Præterea, Duæ subcontrariæ possunt esse simul veræ, sed istæ, Deus generat, Deus nõ generat, sunt duæ subcontrariæ, sunt igitur simul veræ. Minor ostenditur. Hic terminus Deo respectu prædicatorũ essentialiũ habet vim termini singularis, siquidẽ diuina natura sit quiddam singulare, at respectu prædicatorum personalium habet vim termini communis, & indefiniti, siquidem secundũ supposita plurificatur, ac proinde reddit propositionẽ indefinitam, ac pro diuersis verificabilem, cuiusmodi sunt huiusmodi propositiones, Deus est generans, Deus est genitus, igitur & concomitantia oportet verificari pro diuersis.

Gregorius, & Gabriel 1. 5. d. 4. q. 1. in eadẽ sunt sententia, ita argumentantes. In hac propositione, Deus non generat, hoc nomen Deus, aut supponit pro natura, aut pro supposito, eoque aut definito, aut indefinito. Si pro natura, vera est propositio, habet siquidem hunc sensum, essentia diuina non generat, id quod verissimum est, si pro supposito, eoque definito, vera est etiã, Nam cum non stet pro persona patris, stat pro persona filij, sin vero pro supposito indefinito, similiter est vera, significat enim aliquod suppositum diuinum minime generare, id quod est verissimum.

Cæterum pro Thoma his argumentis facile est respondere. Ad primum Aureoli dicitur, in illa propositione subiectum stare pro natura, non quidem in abstracto, de qua verum est dicere, quod non generat, sed in concreto, scilicet, pro hoc Deo, siue pro habente Deitatẽ vt sic, de quo falsum est dicere, quod non generat.

Quartum
Durandy
idem af-
firmat.

5. Argu-
Gregori
Gabriel
idem af-
firmant.

Ad 1.

Ad

Ad 2. Ad secundum dicitur, cum absurde, tum falso dici, omnis Deus generat, absurde quidem, quoniam, omnis, distribuit pro individuus Deitatis, iam autem individuus Deitatis est unum solum, falso vero, quoniam signum distributivum necessario requirit multa supposita sub termino distributo, ita fit, ut in illa propositione, Omnis Deus generat, illud, omnis, distribuat pro quolibet habente Deitatem, est igitur illa propositio falsa, continet enim hunc sensum, omne habens Deitatem generat, id quod simpliciter falsum est.

Ad 3. Ad tertium, negatur antecedens. Nam omne notionale est speciale quippe competens personae, at non generare non est homini, utpote quod etiam essentiae conveniat. Nam essentia non generat. Ad probationem vero antecedentis dicitur, affirmationem, & negationem esse eiusdem generis in genere rei, non tamen in genere principij cognoscendi. Non enim si affirmatio est principium cognoscendi A, iam negatio eidem opposita erit, imo eidem repugnat cum negatio sit non ens.

Ad 4. Ad quartum, negatur maior. Pro quo illud est magnopere annotandum duo esse genera praedicatorum, quae personis conveniunt. Quaedam enim sic personis conveniunt, ut etiam conveniant naturis, ut distingui, & non generare. Sunt alia quae solis personis conveniunt, ut generare, & generari. Illa non contrahunt concretum nomen ad standum pro persona determinata, siquidem communia sint cum suppositis, tum naturis, haec vero contrahunt, siquidem solis suppositis conveniant. Ex quo iam efficitur, ut hac verificetur non solum de personis, verum etiam de concreto substantiali, utpote quia contrahant illud ad standum pro persona. Illa vero quavis verificentur de personis, non tamen de concreto substantiali. Ex eo enim quia illud non determinat, denotatur personale convenire essentiae. Ita quavis haec concedatur, Pater distinguitur a filio, haec tamen non venit admittenda, Deus distinguitur a Deo. Item quavis haec concedatur, persona filij non generat, haec tamen non conceditur, Deus non generat. Nihil enim ibi ponitur contrahens

ad personam: ideo significatur haberi Deitatem repugnare generationem.

Ad quintum, negatur illas propositiones esse subcontrarias, imo vero dicimus esse contradictorias. Nam haec propositio, Deus non generat, est univialis negativa, & facit hunc sensum, nihil quod habet diunitatem generat.

Ad sextum respondetur, in hac propositione, Deus non generat, illum terminum Deus, supponere pro natura, non quidem in abstracto, de qua verum est dicere, quod non generat, sed pro natura in concreto, siue pro habente diuinam naturam ut sic, de quo falsum est dicere, quod non generat. Neque est indefinita illa propositio, ut exposuimus. Haec pro D. Thoma ita respondimus.

His tamen non obstantibus, nobis videtur illam propositionem omnino esse veram, idque hoc argumento volumus esse persuasum. In hac propositione, Deus non generat, ille terminus, Deus, supponit pro habente Deitatem, aut igitur pro habente Deitatem absolute, aut pro habente Deitatem sub certa proprietate, quocumque modo accipiatur, illa propositio vera est, Nam si pro habente Deitatem absolute accipitur, illa propositio vera est, utpote, quia eidem contradicens, nempe omne habens Deitatem generat, sit falsa. Sin vero pro habente Deitatem sub certa proprietate supponit, cum non accipiatur pro habente Deitatem sub proprietate patris, sequitur ut accipiatur pro habente Deitatem sub proprietate filij, aut spiritus sancti, At filius, & spiritus sanctus non generant, igitur, etc. etc.

Obijci contra potest. Affirmatio, & negatio supponunt pro eodem, & eodem modo, at negatio illius, Deus generat, est haec, Deus non generat, & in illa subiectum Deus supponit pro supposito, eoque determinato, sequitur igitur ut in negatione etiam, Deus supponat pro supposito, eoque determinato, cum igitur affirmativa sit vera, sequitur ut negativa sit falsa. Respondetur in utraque propositione, illum terminum supponere pro habente, siue pro supposito Deitatis, non tamen eodem modo. Nam in affirmatione supponit pro supposito Deitatis determinate, siquidem ge-

artum
randy
m af-
nat.

Haec pro-
positio,
omnis Deus
generat,
cum falsa
est, tu ab-
surda.

Ad 5

Ad 6

Authoria
opinio.

rgu.
gori
riel
m af-
nant.

Duo ge-
nera pra-
dicatorum,
quae per-
sonis con-
veniunt.

Persona-
lia contra-
hentia ad
determi-
nata per-
sonam, ve-
rificentur
non solum
de perso-
nis, verum
etiam de
concreto
substantia-
li. Non con-
trahentia
vero, quae
verifi-
centur de
personis,
non tamen
de concre-
to substantia-
li.

Obijcte
contra opi-
nionem.

Dilutio.

DISTINCTIO
QVINTA.

¶ Resolutio distinctionis quintae
Magistri Sent.

IN distinctione quinta ponuntur à Ma-
gistro tres cōclusiones. ¶ Prima cōclusio.
Haec propositiones sunt falsae, Deus genuit
essentiā, essentia genuit filiū, essentia genuit
essentiā. ¶ Secunda cōclusio. Essentia diui-
na, neque genuit, neque genita est. ¶ Ter-
tia conclusio. Filius est de substantia patris,
non tanquam de materia, sed tanquam de
forma, hoc est, de principio sibi consubstan-
tiali, & coeterno. Harum conclusionū pro-
bationes, similiter & refutationes, & re-
futationum solutiones ponuntur in cōtex-
tu literae Magistri.

QVÆSTIO. I.

¶ Vtrum diuina essentia sit formalis diuinae
generationis terminus?

Distinctione quinta cōparatur es-
sentialia cū personalibus sub-
tione principij, sub ratione termi-
ni, & sub ratione materiae. Ac quod ad pri-
mā cōparationē attinet, si sermo est de prin-
cipio quod generat, iam diximus superiore
distinctione. q. 3. non verè dici, essentia ge-
nerat, quādoquidem actio ut ei quod agit,
nulli alteri nisi supposito cōuenit, iam autē
essentia significatur per abstractionē à suppo-
sito. Sin vero sermo est de principio quo ge-
nerās generat, haec quæstio recidit in illam
qua quaeritur, vtrum essentia sit potētia gene-
randi, qua tractatur septima distinctione.

Quod vero attinet ad secundā compara-
tionē, si sermo est de eo quod generatur cō-
pletiuè, iā patet quæstionis explicatio. Etenim
quæ ad modū actiōes sūt suppositorū, ut eorū
quæ agūt, ita etiā passiōes sūt suppositorū
ut eorū quæ patiūtur. Sin vero sermo est de
formali termino, quo genitū generationē
termi-

nerare est notionale cōtrahēs ad suppositū
determinatum, in negatione vero supponit
pro supposito Deitatis indeterminate, si qui-
dē nihil sit ibi cōtrahens, ac proinde vtra-
que est vera. Nam contradictio est eiusdē,
de eodem, & eodem modo.

Ad vlti-
mum.

Ad vltimum dicimus illas consequētias
minime valere, siquidē cōmittatur fallacia
accidentis, quemadmodum in responsione
ad secundum argumētum principale anno-
tamus.

Coroll. 1.

Hinc collige primū, hanc propositionem
esse verā, pater est solū essentia diuina, ha-
bet enim hunc sensum, pater est essētia di-
uina, & nihil est in patre, quod nō sit essētia
diuina. Hanc tamen esse falsam, solū pater
est essētia diuina, significat enim patrē esse
essentiā diuinā, & nihil aliud à patre esse es-
sentiā diuinā, quod tamen falsum est,
Nam filius est alius à patre, qui ipse tamen
est essentia diuina.

Coroll. 2.
Syllogif-
mus expo-
sitorius
nihil ha-
bet firmi-
tatis in di-
uinis.

Collige secundo, syllogismū expositoriū
in diuinis nihil habere firmitatis, siquidem
cōmittatur fallacia consequentis, ob id. s.
quia essentia, & relatio in diuinis non sint
idem adæquate, & cōuertibiliter. Quocirca
non valet hoc argumentū, Hic pater gene-
rat, hæc essētia diuina est pater, igitur essē-
tia generat. Nam essentia diuina, etiā ad-
iuncto pronomine demonstratiuo, non est
tantū pater. Etenim demonstrata essētia di-
uina, hæc est falsa, Hæc essētia diuina est tā-
tum pater. Vnde neque sequitur, hæc essētia
non generat, hæc essentia diuina est pater,
igitur pater non generat. Nam hæc essētia
diuina non est tantū pater, cū sit etiā filius.

Coroll. 3.

Collige tertio inepte Abbatē Ioachimū
magistrū reprehendisse. Nam quamuis es-
sētia neque gignat, neque gignatur, non
tamen quaternitas ponitur in diuinis, si-
quidem qualibet persona est illa res, quæ
neque generat, neque generatur: & om-
nes tres personæ sunt illa res summa, &
simplicissima. Extra de summa Trin. & fi-
de catholica, cap. Damnamus. Quo loco
Magistri sententia est totius Ecclesiæ diffi-
nitione comprobata.

terminat, hoc iam adducitur in quaestione sit ne diuina essentia, an non. Hinc habes terminum generationis duplicem, completiuum vnum, formalem alterum, est autem illud, quo genitum generatione terminat.

Præposita distinctioe, quaestio explicatur tribus conclusionibus. Distinctio est huiusmodi. Generatio accipitur trifaria, vt mutatio, vt actio, vt assimilatio in natura. Generationis vt mutatio extrema sunt esse, & non esse, forma, & priuatio, vt docet Aristot. in physicis. Generationis vt actio extrema sunt generans, & genitum. Nam actio media intercedit inter id quod agit, & id quod patitur, quodque actione terminat. Extrema vero generationis prout assimilatio in natura, sunt natura gignentis, & natura comunicata rei genitæ. His in hunc modum præpositis subiunguntur tres conclusiones.

Generatio accipitur trifaria vt mutatio, vt actio, vt assimilatio.

1. conclus.

Prima conclusio. Esse, & non esse, siue forma, & priuatio non sunt extrema diuinae generationis, vt quæ non sit mutatio, quemadmodum iam alibi docuimus. d. 4. q. 1.

2. conclus.

Secunda conclusio. Diuinae generationis prout est actio quædam extrema sunt gignens, & genitum. Ita pater generans est terminus à quo diuinae generationis, filius vero est terminus ad quem illa generatio completiue terminatur.

3. conclus.

Tertia conclusio. Diuinae generationis prout est quædam operatio naturæ, siue assimilatio in natura, sunt natura diuina in patre, & eadem vt comunicata filio. Ita formalis terminus diuinae generationis est diuina essentia. Id vero ostenditur in hunc modum. Principium quo pater generat est natura diuina in patre igitur eadem vt comunicata filio, est extremum, quo genitum generatione terminat. Consecutio ex eo intelligitur: tum quia terminus formalis generationis, & principium formale quo generans generat sibi mutuo respondet, tum quia generatio, quæ est actio naturæ, incipit à natura gignentis, & terminatur ad naturam rei genitæ.

Formalis terminus diuinae generationis est diuina essentia.

Secundo. In diuinis nihil est aliud nisi essentia, & relatio, formalis igitur terminus diuinae generationis sit oportet essentia, aut

relatio, non relatio, siquidem relatio non terminat actionem, est igitur essentia. Egid. 1. d. 5. q. 3. art. 1.

Tertio. Generatio hæcenus reperitur in diuinis, quatenus perfectione declarat, sed vniuersa generationis perfectio est ex termino ad quem formali, hic autem non est relatio, est igitur essentia.

Quarto. Quidquid generatione comunicatur à generante, est formalis terminus generationis, at sola diuina essentia est aliquid datum generatione rei genitæ, sola igitur diuina essentia est formalis terminus diuinae generationis. Minor patet ex Ioan. 6. cap. quo loco à Christo sic dictum legimus, Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est. Illud donum referri non potest ad ipsam filiationem, quæ quæ humo, neque perfectione declarat, neque imperfectione, refertur igitur ad essentiam diuinam æterna generatione filio comunicatam, quæ simpliciter rebus omnibus excellentior est.

Ioan. 6.

Hinc collige in diuina generatione esse duplicem terminum ad quem, productum vnum, nempe ipsum filium, qui est terminus totalis, comunicatum alterum, & non productum, qui est terminus formalis, nempe diuina essentia.

In diuina generatione duplex terminus, productus vnus, comunicatus alter.

REFUTATIO TERTIAE

Conclusionis. Tertia nostra conclusio multis theologis, iisque doctissimis non probatur. Ac à Durando ita refellitur, 1. d. 5. q. 1. Principium formale quo agens agit, & terminus formalis, quo id quod patitur actione terminat, sibi mutuo respondent, saltem secundum speciem. Nam calor quo tanquam formali principio ignis agit calefaciendo, est idem specie cum calore recepto quo calefactum calefactione terminat, at diuina essentia non est formale principium quo pater generat, alioqui omnis diuina persona generaret, cum perfecte habeat essentiam, igitur neque eadem essentia est formalis terminus, quo filius generationem terminat.

1. Argu. Durandus

Aureolus apud Capreolum. 1. 5. d. 5. q. 1. contra eandem conclusionem sic argumentatur. Ratio formalis termini generationis in eo consistit, vt sit entitas acquisita de nouo, siue accipiens esse per talem generationem,

DISTINCTIONIS QUINTAE

sed diuina essentia per diuinam generatio-
nem non accipit esse, non est igitur forma-
lis terminus diuinæ generationis. Maior
ostenditur, id quod cōmunicatur alteri iam
præexistens non potest esse formalis ter-
minus generationis, ergo de ratione formali
termini formalis generationis est, vt sit ali-
quid quod per generationē consecutū sit es-
se. Maior probatur tribus exēplis, primum
exemplum præbet nobis calor rei corruptæ
remanens in genito, qui idem non dicitur
generatus, aut generationē terminare, non
ob aliud, nisi quia iam præexistebat, secun-
dum exēplum præbet anima quæ adiūgitur
partibus nutrimenti in carnē conuersis, ea
siquidem ob id quia præerat, nō dicitur ter-
minare nutritionē. Tertium exemplum su-
mitur ex resurrectione mortuorum, in qua
anima coniungitur corpori, illa tamen cō-
iunctio nō dicitur generatio, siquidē anima
iam actu præfuit, & illa coniunctione mini-
me accepit esse, ex quibus omnibus intelli-
gitur nihil præexistēs posse formaliter ter-
minare generationē, ac proinde rationē for-
malem termini formalis generationis in eo
cōsistere, vt sit aliquid quod per generatio-
nem accepit esse.

Præterea, Essentia diuina est formale prin-
cipium quo pater generat, igitur nō est for-
malis terminus, quo filius generationē ter-
minat. Cōsecutio firma est, nam principium
quo generans generat realiter distinguitur
à termino formali generationis, illud enim
est principium huius, iam aut principium, &
principiatū realiter distinguitur, At nihil est
in diuinis à quo essentia realiter distingua-
tur, diuina igitur essentia non est terminus
formalis diuinæ generationis.

Gregori⁹ In eandē conclusionē inuehitur Gregori⁹
1.5.d.5.q.2.ar.2.in hunc modum. In genera-
tione duplex terminus reperitur, vnus qui
dicitur qui, alter qui dicitur, quo, terminus
qui est illud quod gignitur cōpletuē, hoc
ipsum est suppositū, terminus vero quo, est
illud quo formaliter id quod generatur est
tale, quale est ipsum generans, id quod sit
cōceptu formæ generātis. Ex quo iā efficitur

non id requiri in ratione formali termini,
vt sit aliquid quod accipiat esse per genera-
tionem, sed vt sit aliquid cuius interuentu
id quod generatur cōpletuē est formaliter
tale, quale est ipsum generans. Ita ergo
argumentatur Gregorius.

Distinctio extremorū quod & quo, nun-
quā habet locū, nisi id quod generationem
terminat cōpletuē sit compositū, vnde in
creatione Angelorū terminus qui creatur
nō distinguitur à termino, quo Angel⁹ crea-
tionem terminat, propter simplicitatē ange-
licæ naturæ, at diuina persona, quæ gignitur
est simplicissima, igitur in diuina genera-
tione nullus est formalis terminus, quo ge-
neratum generationem terminat.

Præterea, formalis terminus generationis
est illud, quo generatū dicitur tale, at nullū
simpliciter simplex est aliquo tale, vt pote
quia seipso est primo tale, alioqui non esset
simplex, nullus est igitur formalis diuinæ ge-
nerationis terminus. Quis nam est igitur di-
uinæ generationis terminus? Respondet Gre-
gorius, per se terminū diuinæ generationis
esse suppositum filij, nempe quod solū diui-
na generatione producat, & accipiat esse.

DILVTIO ARGUMENT.

PRimum argumentū diluitur negatione
minoris. Nam formale principium quo
pater generat, est diuina essentia, licet non
præcise, sed vt subest paternitati, vt patebit
septima distinctione.

Ad secundum, negatur maior, Nam fieri
potest vt materia præexistens alicui formæ
præexistenti cōiungatur, à qua eadē infor-
mata actuetur. Hoc interim posito ita licet
argumentari. Ex coniunctione formæ illius
cū materia euadit substantia quædā cōposita,
quæ sit verè producta, nempe quia nunc est
& prius nullo modo fuit, quæq; sit totalis il-
lius generationis terminus, iam quæro, quis
nam sit formalis illius generationis termi-
nus, materia ne, forma, an cōpositum? Non
compositū, nempe cum sit totalis illius ge-
nerationis terminus. Neq; materia. Nāq; in
generatione illud est formalis generationis
termi-

4. Argu.

5. Argu.

Ad 1.

Ad 2.

Ratio
malis
mini
malis
nerat
in q
confi

Nota
nionē
autho

Math.

terminus, quod in materia recipitur, & sub quo actu fit materia, & ad quod ipsa materia transmutatur, hoc autem est sola forma, igitur illius productionis formalis terminus est forma, non materia, & tamen praexistebat: igitur aliquid praexistens communicatum alteri esse potest formalis generationis terminus. Hinc collige, non esse de formali ratione termini formalis ipsius generationis, ut per generationem accipiat esse, sed ut sit aliquid per generationem communicatum ipsi rei genitae, quoum id quod gignitur assimilatur generanti.

Quod vero ad exempla attinet, facilis est responsio. Ad primum exemplum dicimus qualitatem corrupti manentem in genito, non esse illam quidem formalem terminum generationis, non tamen ob id quia iam praerat, sed quia ad illam qualitatem materia minime est transmutata: ad quam tamen si materia fuisset transmutata, verum illa quidem generationem terminaret, quantumuis praexistere.

Secundo exemplo occurrunt Thomista dicentes, animam esse formalem terminum nutritionis, siquidem nutritio quadam est generatio: generatio autem terminatur ad formam substantialem, quae unica est in re composita.

Ego dicerem animam esse terminum ultimum, & communicantem parti esse specificum totius, ut scilicet caro sit caro humana, & nervus sit nervus humanus, quavis forma nervi sit terminus formalis proximus, & immediatus. Ad tertium exemplum dicitur, resurrectionem non esse generationem, partim quia inductio animi in corpus non consequitur aliquam actionem dispositivam materiae, partim quia genitum praefuit generationi, nam iuxta fidem nostram idem numero, quod antea erat, resurgit ex quo fit ut dicatur potius reunitio, siue resuscitatio, quam generatio. Caeterum quia saluator noster illam hominum vita defunctorum excitationem, *παλιγγενεσιαν*, hoc est, regenerationem appellat, dicerem potius illius regenerationis formalem terminum, esse animam, quae denuo corpori adiungitur, ipsum vero compositum esse totale terminum.

Ad tertium, negatur consecutio. Neque enim est necessarium ut principium quo agens agit realiter distinguatur a termino formali, id quod amplius patebit septima distinctione.

Ad quartum, respondetur negatione maioris. Nam quod & quo non necessario requirunt distinctionem realem, sed ad hoc sufficit distinctio rationis. Unde ad distinctionem termini in formalem, & totalem satis est ut illud sit constitutum ex duobus secundum nostrum intelligendi modum, Nam tunc quod gignitur, & quo gignitur, sunt distincta ratione, & intelligentia solum.

Ad quintum, eodem modo respondetur. Nam persona divina est aliquo talis, nepe Deitate Deus, & paternitate pater: idque per rationem solum, quae in Deo distinguit quod, & quo, cum tamen omnia ibi sint unum, sitque & Deus seipso primo Deus, & pater seipso primo pater.

QVAESTIO. 2.

Utrum divina essentia in divina generatione modo aliquo subeat vicem materiae?



Haec quaestio duabus conclusionibus explicatur.

Prima conclusio. Divina essentia in divina generatione nullo modo obtinet

rationem materiae. Probatio. Quod est ex aliquo tanquam ex materia, sit oportet ex forma actuante materiam, si est per se unum, at hoc derogat summam Dei simplicitati, igitur, etc.

Secundo. Quod est ex aliquo tanquam materia dicitur esse ex illo, non illud: At filius Dei est essentia divina, non est igitur ex divina essentia tanquam ex materia.

Tertio. Subiectum generationis est perfectibile per formalem generationis terminum, at divina essentia nulla re est perfectibilis, ut quae sit actualissima, & nihil sit divina essentia perfecti, ac formalius, igitur, etc.

Quare

Ratio formalis termini formalis generationis in quo consistat.

Nota opinionem authoris.

Matth. 19

Ad 3.

Ad 4.

Quod & quo non necessario requirunt distinctionem realem.

Ad 5.

1. conclusio

DISTINCTIONIS QUINTAE

Quarto. Subiectum generationis fit sub formali generationis termino, at diuina essentia non fit sub formali generationis termino, nam terminus formalis diuinae generationis est essentia, iam autem nihil subest sibi ipsi, igitur essentia esse non potest subiectum diuinae generationis.

Posterior conclusio. Essentia diuina conuenit aliqua conditio materiae. **Probatio.** Id quod saltem ratione praexistit reigenitae, & manet in re genita conditionem aliquam retinet materiae, at diuina essentia est huiusmodi, retinet igitur aliquam conditionem materiae.

REFUTATIO PRIORIS Conclusionis.

Sunt qui à priore nostra conclusione dissentiant, in quibus Henricus quod lib. 8. q. 9. sic argumentatur. Filius est genitus, aut igitur de aliquo aut de nihilo, si de nihilo, productio igitur filij est creatio, & filius creatura. Sin de aliquo, cum non de aliquo quod sit aliud ab essentia, alioqui filius non esset similis patri: igitur de aliquo generatus est quod est essentia, atqui id de quo aliquid gignitur habet rationem materiae, diuina igitur essentia in diuina generatione habet rationem materiae.

Præterea, omne quod manet idem sub utroque termino habet rationem materiae, at diuina essentia est eadem in gignente, & genito, ea igitur est materia, & subiectum diuinae generationis.

Durandus vero l. d. 5. q. 2. sic argumentatur. Quod praexistit generationi, & manet in re genita habet rationem materiae, at diuina essentia praexistit generationi, & manet in re genita, ut patuit ex 2. conclusione, habet igitur rationem materiae.

Ad hæc, cum aliquid ex duobus constituitur, & est per se unum, unum se habet ut materia, & alterum ut forma, at diuina persona constituitur ex essentia, & relatione, unum igitur se habeat oportet ut materia, & alterum ut forma, atqui relatio non se habet ut materia, cum relatio non subsit es-

sentia, sed contra essentia relationi, igitur essentia, quod ad constitutionem diuinae personae attinet, subsit rationem materiae, igitur & in generatione.

Præterea, illud est subiectum generationis, quod recipit formam rei genitae, sed diuina essentia recipit formam, quæ filius in se constituitur, nempe proprietate, & relationem, igitur diuina essentia habet rationem materiae.

Postremo, inquit Augustinus. 15. de Trinitate. Filium esse de substantia patris, atqui, de, denotat habitudinem materiae, vel quasi materiae, ut cum dicimus gladium esse, vel fieri de ferro, relinquitur ergo diuinam essentiam de qua est filius generatus, habere rationem materiae.

Adiungunt huius sententiae authores, quod cum generatio Deo & creaturae uniuoce non conueniat, non esse perfectam similitudinem: in utraque requirendam, tam quoad rem, subiectam generationi, quam quoad aliam, sed sufficere qualemcumque similitudinem & conuenientiam, in ijs præsertim quæ imperfectionem minime includunt. Ac hoc modo multis occurritur argumentis quæ sumuntur ex conditione, & natura materis.

DILUTIO ARGUMENTI.

Ad primum respondetur, Dei filium esse de aliquo, nempe de ipsa patris essentia atque substantia. Cæterum hæc propositio, de, non semper dicit habitudinem materiae, sed interdum habitudinem principij effectiui, ut cum dicimus filium esse de patre suo, non tamen cuiuscunque principij effectiui, sed consubstantialis. Ita fit, ut non dicamus, creaturam esse de Deo, Nam quauis Deus sit principium efficiens creaturae, non tamen est principium eidem consubstantiale. Ob eandem causam non dicimus, domum esse de efficiente. In diuina igitur generatione hæc propositio, de, significat habitudinem principij, non quidem materialis, sed effectiui consubstantialis. Cum igitur dicunt sancti, filium esse de substantia, siue de essentia patris generatum, significant patrem

2. conclus.

Essentia diuina conuenit aliqua conditio materiae.

7. Argu. Henricus

2. Argu.

3. Argu. Durandus

4. Argu.

5. Argu.

6. Argu.

Ad 1.

Filius de alio non quare materiae sed tamen quare formae

Ad 2.

Ad 3.

Præterea tens generatio habet rationem materiæ, de qua dicitur Vnde dicitur de quibus generatur Ad 4.

Filius est de aliquo non tanquam de materia, sed tanquam de forma.

patrem esse principium filij eidē consubstantialē, ita vt in verbo patris denotetur principium, in verbo vero substantia consubstantialitas. Vnde filius est de aliquo non tanquam de materia, sed tanquam de forma, sibi à patre communicata.

Hinc collige has duas propositiones esse falsas, Filius est de essentia diuina, & filius est de essentia spiritus sancti, in priore siquidem abest distinctio inter extrema, in posteriore vero abest principiatio. Nam spiritus sanctus vt sit consubstantialis filio, non tamen est principium filij.

Ad 2.

Ad secundum, maior conceditur in motu, siue mutatione cuius extrema sūt forma, & priuatio, iam vero diuina generatio neq; est mutatio, neq; diuina essentia vnquam fuit sub priuatione filiationis. Caterū si extrema generationis accipiantur produciens, & productū, negatur maior propositio. Nā natura gignentis manet eadem in gignēte, & genito, & tñ non habet rationē materię.

Ad 3.

Ad tertium dicitur illam, conditionē materię conuenire diuinę essentię, quemadmodū docuit posterior nostra conclusio. Nobis tamen modo videtur nullā omnino materię conditionē diuinę essentię conuenire. Quocirca argumentum sic diluitur, vt dicatur illud non esse verum, quando id quod præexistit generationi se habet vt id quo agens agit, non vero vt id de quo agit. Vnde præexistens generationi habet rationem materię, quando se habet vt id de quo agens agit.

Præexistens generationi habet rationē materię, quādo se habet vt id de quo agens agit.

Ad 4.

Ad quartum respondetur, maiorē esse veram cum constituentia sunt absoluta, tunc enim vnū subest alteri, ceu formaliori, vel certē cum constituentia re ipsa distinguuntur. Cum igitur aliquid est per se vnū, & constituentia sunt absoluta, ac realiter inter se distincta, tunc vnū subest alteri vt formaliori, & actualiori, iam autem in diuinę personę constitutione, neq; constituentia sunt absoluta, neq; realiter inter se distincta, ac proinde vnum non subest alteri vt formaliori, neque vnum se habet vt perfectibile, & alterum vt perfectio. Adde, quia si in cons-

titutione diuinę personę essentia haberet rationem materię, relatio esset actualior, & formalior quam essentia, nam hoc conuenit perfectiuo, qua huiusmodi, & essentia esset potentiale quiddam respectu relationis, quæ omnia cum sint absurda, sequitur opinionem Durandi esse omnino falsam.

Obijci tamen cōtra potest. Actus est distinguere, At in diuinis relatio distinguit, nō essentia: igitur in diuinis relatio habet rationem actus, nō essentia. Respondet Scotus i. d. 5. q. 2. Relationem distinguere illā quidem, personaliter tamen, nō quiditativē: essentiam vero distinguere quiditativē, id quod est simpliciter perfectionis.

Obijci cōtra rēspōsiōnē

scotus. solutio.

Contra adhuc obijcitur vehemētissimē, quādo aliquid constituitur ex duobus quorum vnū distinguit, & alterum non distinguit, illud quod distinguit est actus eius, quā non distinguit, illud ipsum contrahens, ac determinans, cum igitur in diuinę personę constitutione, essentia non distinguat, relatio vero distinguat, sequitur relationem esse actum essentię, ipsamque contrahere, ac determinare.

Obiectio vehemētissima.

Dicimus illud esse verum, cum id quod non distinguit distinguitur per actum distinguentem, quemadmodum humanitas in Socrate, & Platone distinguitur per A. & B. proprietates indiuiduales Socratis, per quas natura humana cōtrahitur, determinatur, & actuatur: ita. s. vt illud contrahēs non solum efficiat vt ipsius interuētū Socrates sit formaliter Socrates, sed etiam sit aliquo modo formale respectu naturę, cōtrahens ipsam, atque determinās, & natura respectu illius sit aliquo modo determinabile, ac contrahibile. At in diuina cōstitutione non sic res habet. Nam actus distinguens nō distinguit naturam, ac proinde neque ipsam contrahit, ac determinat. Vnde ergo habet diuina natura vnitatem, & actualitatem? Dicimus diuinam naturā ex se esse hanc, ac proinde ex se habere vltimam vnitatem, & actualitatem. Quāuis igitur proprietas relatiua sit distinctiua personę in diuinis, non tamen est distinctiua naturę,

Dilutio obiectio- nis.

naturę,

DISTINCTIONIS SEXTAE

naturæ, ac proinde nullo modo est actus ipsius diuinæ naturæ ipsam modo aliquo perficiens, aut informans.

Ad 5.

Ad quintum dicitur maiorem esse veram de forma, quæ formaliter generationem terminat, & cuius interuentu id quod gignitur assimilatur gignenti. Quo efficitur ut minor propositio sit falsa. Nam terminus formalis diuinæ generationis non est proprietas constitutiva filij, partim quia nulla relatio immediatè actionem terminat, partim quia illa generatio non esset uniuoca, siquidem formalis terminus non esset eiusdem rationis cum gignente, partim quia formalis terminus generationis est natura, non proprietas indiuidualis, alioqui nulla generatio esset uniuoca, quemadmodum annotauit Scotus 1.5.d.5.q.2.

DISTINCTIO SEXTA

¶ Resolutio distinctionis sextæ.

EX sexta distinctione Magistri, in qua comparatur actus generandi ad potentiam, siue principium, colliguntur conclusiones quinque, uniuersam distinctionis materiam completentes.

Prima conclusio. Pater non genuit filium voluntate antecedente, ita quod pater sit prius natura volens, deinde generans, quemadmodum neque voluntate antecedente est Deus, ita quod prius natura sit volens, deinde Deus.

Secunda conclusio. Pater non genuit filium voluntate consequente, ita quod prius natura sit volens, deinde generans, quemadmodum, neque est Deus voluntate consequente: ita quod prius natura sit Deus, deinde volens.

Tertia conclusio. Pater genuit filium natura, non voluntate.

Quarta conclusio. Pater non genuit filium nolens, sed volens, quemadmodum potens genuit, & sapiens genuit.

Quinta conclusio. Pater genuit filium necessitate, non quidem coactionis, sed immutabilitatis, siue necessitate naturæ.

✠ QVÆSTIO. I. ✠

Vtrum pater filium genuerit necessitate, an voluntate?



DISTINCTIONE sexta exquiritur modus diuinæ generationis, vtrum .s. pater aternus filium genuerit voluntate, an potius necessitate: cui inquisitioni occasionem præbuit Arrianorum error impurissimus. Putauerunt siquidem Arriani filium esse genitum voluntate, tanquam principio productionis, quemadmodum & omnis creatura, id quod effectum hoc argumento esse volebant. Pater aut genuit filium volens, aut nolens, si nolens, certè miser est, volens igitur genuit, ac proinde voluntate genuit. Ex quo subinde colligebant filium esse creaturam, ut qui voluntate Dei sit generatus, quemadmodum & omnis creatura. Hoc tamen argumentum diluitur ab Augustino. 15. de Trin. cap. 20. ait siquidem, patrem neque volentem, neque nolentem genuisse filium, sed naturali necessitate. Hoc iam ergo adducitur in quaestionem, genuerit ne pater filium naturali necessitate, an voluntate?

Pro explicatione quaestionis ponuntur aliquot conclusiones, quarum prima ita habet. Pater non genuit filium necessitate coactionis. Probatio. Necessitas coactionis ortum habet à causa externa potentiore, quæ vim afferat, At nihil est Deo potentius, non igitur vis aliqua potuit afferri Deo quæ ipsum ad gignendum filium cogeret, atque cõpelleret.

Secunda conclusio. Pater non genuit filium necessitate, quæ sumitur ex fine. Nam cum finis sit potior ijs, quæ sunt ad finem, si ille

1. cõclus.

Pater non genuit filium necessitate coactionis

2. cõclus.

3. cõc
Pater
nuit f
necess
te nat

4. cõc
Pater
genui
liu y
tate p
cipiar

5. cõc
Pater
nuit f
volun
te con
mitan

si ille finis esset extra Deum, aliquid extra Deum esset melius Deo, quod est impossibile, si vero est intra Deum, aliquid melius Deo esset intra Deum, quod similiter falsum est, siquidem in diuinis non reperiuntur gradus bonitatis, relinquatur igitur Deum patrem non genuisse filium necessitate, quae sumitur ex fine.

3. conclus.
Pater genuit filium necessitate naturae

Tertia conclusio. Pater genuit filium necessitate naturae. Namque omne produciens per modum naturae agit necessitate naturae, at pater produciens filium, producit illum per modum naturae: agit igitur ac producit necessitate naturae. Maior ex eo intelligitur, quia agens naturale, siue per modum naturae, agit summa necessitate, quae dicitur immutabilitatis, idque quantum ex se est. Dicimus quantum ex se est, quia nisi eius actio impediatur, vel à contrario dominante, vel à causa superiore influentiam subtrahente, est simpliciter necessaria. Minor ex eo patet, quia pater producit filium generando, iam autem generatio est operatio naturae, procedit igitur filius à patre tanquam à principio naturali, & per modum naturae: summa igitur necessitate, cum praesertim eius actio praepediri nullo modo possit, nepe quia nihil sit potētius Deo, cuius vis est infinita, neque superius aliquid sit, quod possit influxum subtrahere, cum sit princeps, & suprema causa efficiens.

4. conclus.
Pater non genuit filium voluntate principiante.

Quarta conclusio. Pater non genuit filium voluntate ut principiante. Probatio. Id quod procedit ex voluntate tanquam ex principio actionis elicitiuo, procedit liberè, & contingenter, quo fit ut principianta à voluntate ea sint duntaxat, quae possunt sic, & aliter se habere, at generatio filij, ut patet ex tertia conclusione est simpliciter necessaria, sequitur igitur patrem non genuisse filium voluntate principiante.

5. conclus.
Pater genuit filium voluntate concomitante.

Quinta conclusio. Pater genuit filium voluntate concomitante. Probatio. Voluntas concomitans est voluntas cōparata ad aliquid tanquam obiectum: igitur omne volitum à Deo obiectiue, dici potest esse diuina voluntate, quomodo dici potest Deum

esse sua voluntate, vult enim se Deus obiectiue, atqui diuina generatio est à Deo volita, sequitur igitur patrem genuisse filium voluntate concomitante.

Notandum est hoc loco magnopere, voluntatem concomitantem in voluntate antecedente, & consequente diuidi. Voluntas antecedens est voluntas se habens ad aliquid tanquam obiectum nondum praesens, veluti cum quis expetit pluuiam venturam, voluntas vero consequens est voluntas se habens ad aliquid tanquam ad obiectum iam praesens, & habitum, quae ab alijs dicitur voluntas complacentiae. Hinc effectum est ut Scotus dixerit, 1. d. 6. q. 1. patrem genuisse filium voluntate cum antecedente, tum consequente. Imaginatur siquidem Scotus tria in diuina generatione signa, siue instantia originis, in quorum primo diuinus pater habuit perfectam intellectionem, & volitionem diuinae generationis. In secundo vero, genuit filium generatione intellecta, & volita in primo signo. In tertio vero signo cōplacuit sibi aeternus pater in filio genito, iuxta illud Matth. 4. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. In nullo autem signo existimat Scotus patrem genuisse filium voluntate tanquam principio elicitiuo actionis.

Notat

Voluntas complacentiae.

Signa scotica in diuina generatione

Ab hac sententia non dissidet D. Thomas, 1. p. q. 41. ar. 2. Quod si alibi negauit patrem genuisse filium voluntate antecedente, aut consequente, ut patet ex 1. d. 6. q. 2. voluntatem antecedentem, & consequentem longe aliter accepit, quam nos accipimus, cum voluntatem concomitantem diuidimus in voluntatem antecedentem, & consequentem. Accepit enim D. Thomas voluntatem antecedentem, pro voluntate ut principio elicitiuo, voluntatem vero consequentem pro voluntate de nouo accedente ipsi operanti, quae nulla cadit in Deum, nempe cuius actio omnis est volita sempiterna voluntate.

Thomas non dissidet a scoto.

REFUTATIO CONCLUSVS.

Secunda conclusio hoc argumento improbat, Deus agit propter finem tam inter-

1. Argu.

inter-

internū, vt qui omnia propter semetipsum operetur, quam externum, vt qui hominem propter beatitudinem procreauerit, non repugnat igitur Deum genuisse filium necessitate sumpta ex fine.

2. Argu. Scoti etiam sententiā, quam quintæ assertioni subteximus, Gregorius in primo d. 6. q. 2. non comprobat, eamque proinde his argumentis infirmat. Perfecta intellectio nunquam est sine verbo: igitur si pater in primo signo perfectā habuit intellectiōnem, verbum etiam protulit eodem signo, alioqui diuinum verbum prius fuisset formabile, quam formatum, contra quod docet August. 15. de Trin. cap. 15.

3. Argu. Præerea, si pater aliquo signo intellexit, pro quo eodem non protulit verbum, illo signo fuit pater, necne: si non fuit pater, pater igitur aliquando fuit, aut non fuit pater. Sin vero eodem signo fuit pater, eodē igitur signo habuit filium. Namque pater, eo pater est, quia habet filium.

4. Argu. In Scotica etiam instantia inuehitur in hunc modum. Illud instans originis, aut est ens rationis, aut reale, si ens rationis, in diuinis igitur solum reperitur ordo rationis, id quod omnes concedunt, si ens reale, aut supponit pro diuina essentia, aut relatione. Si pro diuina essentia, sequitur vt in diuinam essentiam cadat ordo prioris, aut posterioris. Sin pro relatione, fit vt in relata similiter cadat ordo prioris, & posterioris, id quod cū natura relatorū minime congruit.

DILVTIO ARGVMENT.

Ad 1. AD primum respondetur, non repugnare actioni Dei ad extra finem aliquem esse propositum siue internum, siue externum. Ceterum Deum agere propter finem, nihil est aliud, quam vnā rem ordinare ad alteram, seu velle vnā rem esse propter alteram, ceu hominē propter beatitudinē.

Quod vero ad refutationē Scoticæ sententiæ attinet, dicimus Scoti illa signa, siue instantia non significare ordinem prioris, aut posterioris secundum habitudinē entitatis ad aliquam mensuram extrinsecam

metientem illam entitatem, quomodo Petrus dicitur esse prior Ioanne, quia Petrus est in aliquo tempore, in quo non fuit Ioannes, sed significare ordinē prioris, & posterioris secundū habitudinē entitatis ad entitatem, hoc est, ordinem naturalis præsuppositionis rei ad re. Ex quo fit, vt hæc instantia sint imaginaria, fundata tamen in naturali præsuppositione rei ad rem. Ita fit, vt essētia sit prior attributis, id est essētia, quantum est ex parte sui, prius conuenit patri, quam quæcunque perfectio attributalis, et si essent dabilia aliqua instantia mensurabilia talium entitatū pro aliquo instāti priori pater esset ens, pro quo non esset bonus, & iustus. Ad eundem etiam modum essentia est prior relatione, & intellectio volitione, & intellectio formalis intellectiōe expressiua, quæ est productio verbi. Nam quantum est ex parte rerū, pater prius est intelligens, quam volens, & prius intelligens formaliter, quam dicens, hoc est, producens verbū, et si essent dabilia aliqua instantia mensuratiua talium entitatū, verē diceretur, patrem pro aliquo instante priore habuisse formaliter intellectiōnem, pro quo eodem verbū non protulerit.

Hinc iam facile constare potest argumentorum explicatio. Dicimus igitur ad primū Gregorij argumentum perfectam intellectiōnem nunquam reperiri sine verbo consequente, cum quo tamen stat vt prius secundum naturam patri conueniat formaliter intelligere, quam dicere verbū, & si essent aliqua instantia mensuratiua talium actionum, pater æternus pro aliquo instāti priori esset formaliter intelligēs, pro quo eodem non esset dicens, essetque diuinum verbum prius formabile, quam formatum.

Ad secundum dicitur, patrem in primo illo signo quo est formaliter intelligēs non esse patrem, hoc est, quantum est ex natura rei, prius eidem conuenire intelligere, quā esse patrem. Etenim prius ei conuenit formaliter intelligere, quam dicere, & per consequens, quam esse patrem.

Ad tertium dicitur, instantia illa originis esse

entitatem secundum ordinem naturalis præsuppositionis inter rem & rem.

1. conclusio. Omnis vnæ productionis naturalis

Magna libertas voluntatis

Ad 3.

scotica instantia significat habitudinē entitatis ad

esse imaginaria, fundata tamen in natura-
li rerum inter se habitudine, vt Paulo su-
pra exposuimus.

QVAESTIO. 2.

*Vtrum pater genuit filium natura an
voluntate?*

PRINCIPIO QVOD
attrinet ad hanc quaestio-
ne illud est diligenter an-
notandum, non esse pro-
positum hoc loco exquirere,
vtrum principium quo pater filium genuit
sit natura an voluntas, partim quia ad esse
principium nulla est inter diuinam naturam
& voluntatem distinctio. Quidquid enim
principiat natura in diuinis, hoc ipsum etiam
principiat voluntas, licet non sub eadem ra-
tione. Partim quia vtrum principium quo pa-
ter generat, sit natura, an aliquid aliud, sep-
tima distinctione exquiritur. Sed illud ad
inuestigandum proponitur: vtrum pater fi-
lium genuerit modo naturae, an voluntatis.
Subiiciuntur ergo multae conclusiones.

1. conclu-
sio.
Omnis di-
uinae per-
sonae pro-
ductio est
naturalis

Prima conclusio. Omnis diuinæ personæ
productio est naturalis. Probatio. Illa pro-
ductio quæ est à virtute agente necessitate
naturæ, & determinata ad vnum, est naturalis,
atque diuinæ personæ productio est huius-
modi, est igitur naturalis. Maior patet ex
differentia inter agens naturale, & volun-
tarium in causando. Hoc igitur interest in-
ter agens voluntarium, & naturale, quoniã
agens naturale non habet in potestate actio-
nem, estque eius vis determinata ad vnum,
hoc est, ad sic, & non aliter. Etenim ignis ap-
plicato combustibili non potest non com-
burere, & sic eius vis affecta est ad calefa-
ciendum, vt non possit frigefacere. Porro
agens voluntarium in potestate suam ha-
bet actionem, etiam cum omnia adsunt, &
suppetunt ad actionem necessaria. Est enim
voluntas vis quaedam valens ad opposita
tam contrariè, quam contradictoriè, omnis
igitur actio illa, quæ ex virtute proficiscitur

Magna li-
bertas vo-
luntatis.

agente ex necessitate naturæ, & ad vnum
determinata, est naturalis. Minor ex eo in-
telligitur, quia pater æternus sic filium gene-
rat, vt non possit non generare, pater & fi-
lius sic spirant spiritum sanctum, vt non pos-
sint non spirare.

Secunda conclusio. Omnis diuina pro-
ductio, & emanatio ex fecunditate diuinæ
naturæ est radicaliter. Probatio. Eodem
modo conuenit Deo, & creaturæ fecundi-
tas, quadam tamen proportione, at fecun-
ditas creaturæ est ex natura radicaliter, igitur
& diuina fecunditas. Minor ex eo patet,
quoniã fecunditas communicationem quã-
dam naturæ importat, & communicatio na-
turæ est generatio: generatio vero est actio
naturæ in naturam terminata, igitur fec-
cunditas creaturæ est ex natura radicali-
ter. In Deo igitur eodem modo res habet,
ac proinde omnis diuina productio ex fec-
cunditate nascitur diuinæ naturæ.

2. conclusio.

Diuina pro-
ductio, & e-
manatio
est ex fec-
cunditate diuinæ
naturæ ra-
dicaliter.

Tertia conclusio. Diuinæ productiones
formaliter sunt actus immanentes: nempe
intellectio, & volitio. Probatio. Actio co-
municatiua naturæ conuenit naturæ fec-
cundæ eo modo, quo conuenit ei agere, cum
que duplex sit actio, immanens. scilicet, ac tran-
siens, sequitur naturam fecundam com-
municare se se actione, aut immanente, aut
transeunte. Ac transeunte actione illa se na-
tura communicat, cui vel nulla altera actio
conuenit nisi transiens, vel cui non repug-
nat actio transiens, id quod dicimus prop-
ter animal rationale, quod etsi intelligens
sit, & volens, non tamen qua huiusmodi se
se naturaliter communicat: sed seclusis in-
tellectu, & voluntate actionem exequitur
sui communicatiuam. Actione vero imma-
nente illa se se natura comunicat, cui nul-
la altera actio conuenit nisi immanens.
Cumque actio huiusmodi nulla sit alia, nisi
actio intellectus, & voluntatis, efficitur vt si
est aliqua natura omnino intelligens, eaque
fecunda, actio comunicatiua naturæ illi
conueniens, nulla sit altera nisi actio intel-
lectus, & voluntatis. Cum igitur diuina na-
tura sit omnino intelligens, sitque fecunda,
effici-

3. conclusio.

Cuique con-
uenit se
se natura-
liter com-
municare
quo mo-
do ei con-
uenit age-
re.

DISTINCTIONIS SEXTAE

efficitur ut actione intellectus, & voluntatis sese ad intra comunicet, ac proinde divinae productiones formaliter sint actiones intellectus, & voluntatis.

4. cōclus.

Quarta conclusio. Sola productio verbi in divinis est productio per modum naturae: productio vero spiritus sancti est per modum voluntatis. Probatio prioris partis.

Modus naturae in duobus consistit.

Modus naturae in duobus consistit. Primum ut unum procedat ab uno, Nam quod multa agentia naturalia, eiusdem gradus, hoc est, totalia, & eiusdem ordinis, hoc est, non subordinata, quorum quodque ad rem efficiendam sit sufficiens, ad eundem effectum concurrant, fieri non potest, dicimus eiusdem gradus, & ordinis, quoniam multa agentia eaque partialia, vel totalia quidem, subordinata tamen, possunt ad eundem effectum concurrere. Secundum, ut productum procedat in similitudinem producentis. Etenim natura esse dicitur vis quadam insita rebus, ex similibus similia procreans.

solus filius in divinis procedit per modum naturae.

Atqui solus filius in divinis procedit ab uno, itemque procedit ut similis ex vi suae productionis, namque procedit ut verbum divinum, verbum autem habet ex vi suae productionis, quod sit simile intellectui informato specie intelligibili, qui est productivus verbi: sola igitur productio filii, siue verbi in divinis, est per modum naturae.

Modus voluntatis in duobus consistit.

Posterior pars conclusionis in hunc modum ostenditur. Modus voluntatis in duobus consistit, primum ut unus & idem effectus possit à multis agentibus eiusdem gradus, & ordinis proficisci, quorum quodlibet se solo possit totum illud effectum praestare: id quod facile intelligitur in multis eundem lapidem comportantibus, quorum quodlibet potest lapidem portare. Secundum, ut procedat non ut simile, ut postea declarabitur, At spiritus sanctus procedit à duobus patre. scilicet & filio, quorum unus non minus perfecte producit, quam alter, neque vterque perfectius producit, quam unus, ac praeterea procedit ut amor, ac proinde ex vi processioneis non habet quod sit similis ei, à quo procedit, productio igitur spiritus

9. 3.

spiritus sanctus procedit per modum voluntatis, non naturae.

sancti est per modum voluntatis, non per modum naturae.

Quinta conclusio. Filius in divinis procedit per actum intellectus, spiritus vero sanctus per actum voluntatis. Huic conclusioni ita fidem facimus. In natura intellectuali, in qua elucet imago Trinitatis, duae cernuntur emanationes, quarum una est intellectus, altera voluntatis. Ac illa quidem hanc antecedit, nam prior est cognitio boni, deinde ipsius amor consequitur. Hac etiam posteriore terminatur omnis intellectualis naturae emanatio: at in divinis filius procedit priore emanatione, spiritus autem sanctus posteriore, quae eadem terminatur omnis divina ad intra productio, sequitur igitur filium procedere per actum intellectus, & per modum intellectus, spiritum vero sanctum per actum voluntatis, & per modum voluntatis.

REFUTATIO CONCLUS.

Tertia conclusio variè refutatur à Durando, 1. 5. d. 6. q. 1. principio ita argumentatur. Productiones divinae sunt actus notionales, at intelligere, & velle, sunt actus essentialis communes tribus personis, igitur divinae productiones formaliter non sunt actus intellectus, & voluntatis.

Secundo. Cuiusque convenit actio productiva alicuius, eidem etiam convenit producere, at cuilibet divinae personae convenit intelligere, & velle: igitur si intelligere, & velle sunt actiones productivae, sequitur ut cuilibet divinae personae conveniat producere ad intra.

Tertio. Productiones divinae differunt realiter, at intelligere & velle in Deo non differunt realiter, non sunt igitur divinae productiones.

Quarto. Actionibus immanentibus repugnat fecunditas, non sunt igitur productiones. Consecutio firma est. Antecedens hinc intelligitur, quia illud est fecundum quod natum alterum producere, siue ad quod natum est alterum consequi, atqui ad actionem immanentem nihil est natum consequi, neque

5. cōclus.

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

4. Argu.

per

ipsam aliquid producitur: igitur actionibus immanentibus repugnat fecunditas. Minor probatur, quia actio immanens de sententia Arist. 9. Metaphys. est ultima perfectio potentiae, ac proinde ad ipsam nihil est natum consequi, neque per ipsam aliquid producitur.

1. Argu. Postremo, productiones diuinae sunt actus diuinae naturae fecundae etiam praecisus intellectu, & voluntate: non sunt igitur formaliter actus immanentes intellectus, & voluntatis. Antecedens ostenditur. Actio communicatiua naturae, quae est actio fecunditatis, eodem modo conuenit Deo, & creaturae proportionem tamen quadam: atqui actio communicatiua naturae in creatura non est secundum actum intellectus, & voluntatis, sed omnino ab eo praescindens: sic igitur res habet in Deo, ut scilicet actio communicatiua naturae eidem conueniat, qua fecundus est naturaliter, ad quod ipsum intellectus, & voluntas nihil omnino cooperantur. Minor patet, tum primo, quia fecunditas, & actio communicatiua naturae conuenit etiam naturis non cognoscentibus, nam ignis ignem generat: tum secundo, quia si ignis esset intelligens & volens, efficeret ille quidem calorem vi insitae naturae, ad quod tamen intellectus, & voluntas nihil omnino cooperarentur. Tum postremo, quia quemadmodum se habet natura ad intellectum, sic se habet actio naturae ad actionem intellectus: atqui natura est prior intellectu: igitur actio naturae ut sic prauehit actionem intellectus.

4. Argu. Quarta, & quinta conclusio, quibus asseritur spiritum sanctum procedere a voluntate, & modo voluntatis, non videntur cum prima conclusione congruere, imo vero eidem videntur repugnare. Id vero sic ostenditur. Id quod procedit a voluntate modo voluntatis procedit ab ea, tanquam a principio, & quod procedit a voluntate tanquam a principio potest sic & aliter se habere: Atqui spiritus sanctus procedit a voluntate modo voluntatis, quemadmodum filius ab intellectu modo intellectus: igitur procedit a

voluntate tanquam a principio, ac per consequens potest sic & aliter se habere: non est igitur productio spiritus sancti necessaria, contra quod assertum est in prima conclusione.

Accedit, quia modus voluntatis prout distinguitur contra naturam est libertas, contingentia, & indifferentia, natura enim est determinata ad vnum, hoc est, ad sic, & non aliter: igitur si spiritus sanctus procedit per modum voluntatis: sequitur ut procedat liberè, & contingenter, id quod repugnat primae conclusioni, quae omnimodam necessitatem, determinationem, & naturalitatem attribuit diuinis productionibus.

DILVTIO ARGUMENT.

AD primum dicitur, intelligere, & velle absolute, sine formaliter esse communia cum tribus personis, & essentialia, at intelligere, & velle cum expressione esse notionalia, & propria.

Ad secundum, dicitur intelligere exprimendo, & velle spirando non conuenire cuiuslibet personae: sed illud prius soli patri conuenit, hoc vero posterius & patri, & filio intelligere tamen absolute, & velle similiter tribus personis communia sunt. Non pure intelligere absolute esse aliquid distinctum secundum rem ab intelligere simpliciter, cum in Deo sit vnum duntaxat intelligere commune cum tribus personis communitate reali, sed illud vnum intelligere ut in patre connotat quandam expressionem, quam non connotat ut in filio, similiter neque in spiritu sancto. Item, illud vnum diuinum velle ut in patre, & filio connotat quandam expressionem, quam non connotat ut in spiritu sancto.

Ad tertium, dicitur veram esse maiorem propositionem de productionibus passiuè sumptis, non tamen de productionibus actiuè, iam intelligere exprimendo, & velle spirando sunt actiuæ productiones, non passiuæ.

Ad quartum, negatur antecedens. Ad probationem vero sumptam ex Aristotelis autoritate respondetur a quibusdam, in quibus est Caiet. 1. q. 27. art. 1. actione immanente nihil

7. Argu.

Ad 1.

Ad 2.

Intelligere & velle absolute non distinguitur re aliter ab intelligere & velle cum expressione.

Ad 3.

Ad 4.

Caietan.

DISTINCTIONIS SEXTAE

ni immanenti ex ipsa aliquid produci, illud argumento est, quoniam ex frequentatis actionibus intellectus gignitur habitus, qui ipse est aliquid præter actionem intellectus. At hoc significauit Arist. 9. Metaph. nepe actione intellectus nihil produci necessario.

Nota auctoris sententiam.

Nobis placet hoc interesse inter actionem immanentem, & actionem transeuntem, quoniam id quod producitur actione transeunte, non solum transit extra principium formale operantis, verum etiam extra ipsum operantem, quod ipsum est finis operantis. Est enim aliquid productum in subiecta materia. At id quod producitur actione immanente, ut sit extra formale principium operandi, hoc est extra intellectum informatum specie intelligibili, non tamen est extra ipsum intelligentem, sed in ipso intelligente manet, & ordinatur ad actionem tanquam ad finem. Producitur enim propter intellectualem operationem, ut scilicet operatio intellectualis habeat interius suum terminum, hoc est, id ad quod obiectiue terminatur. Hinc effectum est ut operatio intellectualis dicatur ultima perfectio potentiae intellectiuae, quoniam ex ipsa nihil producitur, quod sit finis ipsius operationis. Ac hoc differt actio immanens ab actione transeunte, quoniam actione transeunte aliquid producitur, ad quod tanquam ad finem ordinatur ipsa actio transiens, est enim actio transiens propter suum effectum, eoque perficitur, & completur. At actione immanente aliquid producitur, quod ordinatur ad actionem immanentem tanquam finem. Est enim propter actionem immanentem.

Ad 5.

Ad quintum, negatur antecedens. Ad probationem vero respondetur adhibita distinctione. Namque intellectualitas duobus modis conuenit creaturae, vno modo ut forma superaddita naturae, altero modo ut forma, siue differentia constitutiua naturae. Priori modo intellectualitas conuenit homini, conueniret etiam igni si esset intelligens, posteriori vero modo conuenit Deo, & Angelo. Sunt enim Deus, & Angelus natu-

rae omnino, & pure intellectuales. Dicitur igitur naturam intellectualem intellectualitate superaddita, se se communicare, non quia est intelligens, & volens, sed omnino praecisus intellectu, & voluntate, siquidem ei non repugnet actio transiens. At natura foecunda pure, & omnino intellectualis, omnino se se communicat, qua est intelligens, & volens, siquidem nulla altera actio ei, per quam se communicet, conueniat, nisi actio intellectus, & voluntatis. Vnumquodque enim agit ad communicationem naturae, quo modo ei conuenit agere.

Ad probationem igitur, siue confirmationem secundam dicitur, data illa hypothesis intellectualitatem se habere ad naturam ignis, sicut proprietatem, & differentiam superadditam, & ideo nihil omnino facere ad communicationem naturae, siquidem ei non repugnet actio transiens.

Ad tertiam vero probationem respondetur, negata maiore propositione. Vnde non sequitur, natura est prior intellectu, igitur actio naturae praue nit actionem intellectus. Haec siquidem consecutio firma est, cum id quod est prius potest operari sine posteriore, secus in ijs in quibus primum non potest operari sine secundo, quomodo se habent natura, & intellectus. Eorum siquidem est eadem operatio respectu cuius natura se habet ut primum principium, intellectus vero ut proximum. Ex quo fit, ut repugnet naturae, qua huiusmodi operari actione aliqua priore, & praue niente actionem proximi principij. Ita fit, ut haec duo simul conueniant, nempe quod actio comunicatiua naturae sit radicaliter ex foecunditate naturae, & tamen non praue niat actionem intellectus, & voluntatis, quandoquidem illi naturae foecundae nulla altera actio conueniat. Cum igitur in natura intellectuali pura, & simplici, non reperiatur aliud principium operatum proximum, nisi intellectus, & voluntas, sequitur ut talis natura actione intellectus, & voluntatis se se comunicet.

Ad sextum dicitur, Maiorem esse veram

ram

Productum per actionem immanentem ordinatur ad actionem tanquam ad finem, ac productum per actionem transeuntem est finis ultimi actus.

Vnumquodque agit ad communicationem sui quo modo ei conuenit agere.

Natura non potest operari exclusiva potentia.

Ad naturam & voluntatem dupliciter

concluditur

ram in eo quod procedit à voluntate, sicut à principio distincto contra naturam, secus in eo quod procedit à voluntate, sicut à principio naturali, siue à voluntate ut natura.

Ad 7.

Modus naturæ, & modus voluntatis duplex.

Ad septimum respondetur, Modum voluntatis accipi duobus modis, vno modo ut idem significet quod contingenter, & liberè, altero modo ut idè significet, quod non per assimilationem producti ad producentem. Similiter modus naturæ accipitur duobus modis, vno modo ut significet determinationem ad vnum, hoc est, ad sic & non aliter, altero modo ut significet similitudinem producti ad producentem. In proposito igitur cum de processione spiritus sancti agitur, modus naturæ significat assimilationem, modus vero voluntatis significat non assimilationem. Et sub hoc sensu dicimus spiritum sanctum procedere modo voluntatis, & non modo naturæ, quia procedit non ut similis ei, à quo procedit, contra vero filius procedit modo naturæ, non modo voluntatis, quia procedit ut similis ei à quo procedit. Si autem accipiatur modus naturæ, ut significet sic & nullo modo aliter, spiritus sanctus procedit modo naturæ, quemadmodum & filius, procedit enim naturalissimè.

✠ QVÆSTIO. 3. ✠

Utrum spiritus sanctus procedat ut similis?

conclusio

ROXPLICACIONE quæstionis ponitur vnica conclusio. Spiritus sanctus non procedit ut similis. Probatio. Spiritus sanctus procedit ut amor, at amor nō procedit ut similis ei, à quo procedit, igitur spiritus sanctus non procedit ut similis. Maior supponitur ex prædictis. Minor ostenditur. Si amor procederet ut similis, aut assimi-

laretur ipsi voluntati à qua procedit, aut rei volitæ, in quam terminatur actus voluntatis, aut aggregato ex voluntate, & re volita in esse cognito, quod ipsum est causa totalis ipsius amoris. Non assimilatur voluntati, nam amor procedens, & voluntas non sunt eiusdem rationis specificæ. Neq; itidem assimilatur rei volitæ, & amatæ. Nam amor productus non est similitudine rei volitæ, sed inclinatio quadam potius, & affectio ad illam. Neque postremo assimilatur aggregato ex voluntate, & ex re volita. Nam tunc effectus assimilatur suæ causæ totali, quando assimilatur ei secundum formam, qua agit: at amor procedens non sic assimilatur suæ causæ. Nam ratio formalis, quæ est productiua amoris ut quod, est ipsum amabile sub esse cognito, at amor procedens non assimilatur rei amatæ ut cognitæ, igitur amor procedens non assimilatur suæ causæ totali, à qua procedit.

REFVTATIO CONCLVS.

PROcedere ut simile nihil est aliud, quam terminum processionis esse similem ei, à quo procedit, atqui amor creatus est similis voluntati, & amor increatus est consubstantialis ei à quo procedit: igitur spiritus sanctus procedit ut similis, & omnino id quod procedit per modum voluntatis procedit ut simile. Minor quoad priorem partem ostenditur. Quemadmodum intellectus per speciem intelligibilem fit in actu primo, ita etiam voluntas per inclinationem, at id quod procedit ab intellectu, nempe verbum est simile intellectui informato specie intelligibili, igitur eodem modo amor, qui est quidam voluntatis impetus, & impulsus, assimilatur voluntati sub inclinatione, posterior vero pars minoris ex eo patet, quia nihil est intra Deū, quod non sit Deus.

1. Argu.

Item, omne agens agit sibi simile secundum formam per quam agit, atqui voluntas est quiddam agens, quemadmodum & intellectus, quemadmodum enim intellectus producit verbum, sic etiam voluntas pro-

2. Argu.

DISTINCTIONIS SEPTIMAE

ducit amorem, igitur quemadmodum intellectus ut sic producit simile, sic etiam voluntas.

Ad 1. Arg. Primum argumentum diluitur negatione minoris, quoad priorem partem. Ad probationem vero dicimus, non sic ferem habere in voluntate, quemadmodum se res habet in intellectu. Non enim quemadmodum intellectus efficitur in actu primo per speciem intelligibilem, sic etiam voluntas efficitur in actu primo per inclinationem aliquam superadditam, sed efficitur in actu per inclinationem, quae est ipsamet voluntas sic affecta, & inclinata. Quod vero ad posteriorem minoris parte attinet: damus id quod procedit per modum amoris in diuinis, procedere ut simile, hoc tamen non habet ex vi processio- nis, & quatenus amor absolute, sed quatenus amor diuinus.

spiritus s. procedit ut similis in natura, non ex vi processio- nis, & quatenus amor absolute, sed quatenus amor diuinus.

Ex quo iam intelligitur non sufficere ad generationem ut communicetur natura, sed praeterea requiritur ut communicetur modo naturae, qui modus in eo positus est, ut ex vi processio- nis natura communicetur, & procedens ipsum ex vi processio- nis assimilatur ei a quo procedit. Hoc posterius non conuenit amori diuino procedenti.

obiectio Contra obijcitur vehementissimè. Spiritus ex vi suae processio- nis procedit ut amor diuinus, etenim sua productio est spiratio diuina, at ut amor diuinus, ut asseritur, habet quod sit similis, & consubstantialis ei a quo procedit, igitur spiritus sanctus ex vi suae processio- nis habet quod sit similis, & consubstantialis ei a quo procedit. Diluimus obiectionem in hunc modum. Productio spiritus sancti, quae est spiratio, accipi potest accipi duobus modis, vno modo absolute, & prout spiratio est, altero modo ut diuina, hoc est, prout reperitur in diuina natura.

Dilutio obiectionis.

Est ergo prima propositio. Spiratio ab-

solute, & qua spiratio est, non habet quod producat simile. Hoc patuit ex prima conclusione, & ex ipsius probatione.

Secunda propositio. Spiratio in quantum diuina habet quod producat simile in natura.

Ex quo iam tria, eaque annotatu dignissima colliguntur. Illud est primum. Spiritus sanctus quatenus spiratus non habet quod sit similis modo aliquo ei, a quo procedit.

Secundo colligitur hoc interesse inter intellectum & voluntatem, quia productum per intellectum ut sic habet quod sit simile ei a quo producit, interim abstrahendo ab hoc vel illo modo similitudinis.

Quod si fuerit in natura perfecta, erit simile in natura. At productum per voluntatem ut sic, non habet quod sit simile villo modo. Quod si naturam habet producentis, hoc conuenit ei non formaliter, hoc est, quatenus productum per voluntatem, sed materialiter, hoc est ut productum per talem voluntatem.

Tertio infertur, quod si intellectus non esset perfectus, quemadmodum & diuinus, verbum consubstantiale produceret, quod si non producit: hoc non est ex merito productionis, sed ex producentis imperfectione. Lege quaest. 5 distinct. 27.

Ad secundum dicitur maiorem illam esse veram, quando forma quae est ratio agendi, est forma ut res, secus quando est forma ut cognita, & mente concepta. Nam forma ut res agit qua res est, & ideo producit tale, quale agens ipsum est, at forma ut cognita agit quatenus apprehensa animo est, & ideo ad ipsam non consequi ut tale aliquid, quale agens ipsum est, sed quaedam potius inclinatio ad illud.

Itaque inter productum per actum intellectus, & inter productum per actum voluntatis hoc interest: quoniam illud ex vi productionis assimilatur suae causae, hoc vero non item. Et ratio est, quia ratio formalis intelligendi est similitudo rei intellectae, conprincipians cum intellectu intellectionem, At ratio volendi non est similitudo rei

1. Corol.

2. Corol.

Nota diligentissime.

3. Corol.

Ad 2.

Vnde est quod intellectus producat simile, voluntas non item.

voluntatis

volitæ cōprincipians cum voluntate volitionem. Est enim ipsum amabile ut cognitum, quod nō est similitudo amoris procedentis per voluntatem. Adde, quia terminus intellectus in actu est similitudo rei intellectæ, at terminus voluntatis in actu non est similitudo rei volitæ, sed quidam potius impulsus ad illam.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Resolutio septimæ distinctionis.

Septima distinctio Magistri, in qua agitur de potentia generandi, in quatuor resolvitur conclusiones.

Prima conclusio. Pater potuit, et voluit generare filium sibi coeternum. Contra hanc conclusionem objicit Magister dupliciter. Primum sic. Pater potuit, et voluit generare filium, filius autem neque potuit, neque voluit filium generare, ergo aliquid potuit, et voluit pater, quod neque voluit, neque potuit filius. Secundo. Pater potuit filium generare, non potuit autē filius: ergo pater est potentior filio. Conseq. probatur, quia aliquid pot pater, quod non potest filius.

Ad primum respondet Magister, generationem filij nō esse aliquid subiectum diuinæ potentie, neque esse aliquid inter omnia, vel de omnibus, sed super omnia, et ante omnia.

Ad secundum respondet Magist. negando consequentiam, idque de auctoritate, et sententia Augustini lib. 3. contra Maximū cap. 12. quo loco ait, filium non genuisse alterum, non quia non potuit, sed quia non oportuit.

Quocirca iam secunda conclusio subjicitur. Filius potuit generare, non tamen oportuit. Prior pars probatur. Triū personarū est una, et eadem essentia, ergo et eadem potentia. Posterior pars hinc ostenditur, quia aliās, ut inquit Augustinus, diuina generatio non haberet exitum, sed procederet in infinitum.

Tertia conclusio. In filio esse potentiam generandi interpretandum est non actiue, quasi filius possit generare, sed passiue, quia filius potuit generari.

Quarta conclusio. Eadē est potentia in patre, et in filio, in patre quidem ad generandum, in filio vero, ut gignatur.

Q V Æ S T I O . I .

Utrum sit verè, et realiter potentia respectu actuum notionalium?



Voniā septima distinctioe quaeri cōsuevit de principio formali, quo pater generat, sit ne essentia, an relatio, id vero quo generas generat habeat rationem potentie, propterea illud ad inuestigandum primum occurrit, sit ne verè & realiter potentia respectu actuum notionalium, necne? Quæstio igitur explicatur duabus conclusionibus.

Prior conclusio. Respectu actuum notionalium in diuinis est potentia. Probatio. Potentia importat principium alicuius actus, atqui in diuinis sunt actus notionales, necesse est igitur ponere in Deo potentiam respectu actuum notionalium.

Posterior conclusio. Respectu actuum notionalium est verè, & realiter potentia. Probatio. Per actus notionales in diuinis produci tur aliquid distinctū realiter, realitate personalitatis, licet non realitate essentia, igitur respectu actuum notionalium in diuinis verè, & realiter est potentia. Antecedens supponitur, consecutio probatur,

quoniam potentia est principium efficiendi, siue producendi alterum, hoc est, distinctum à producente siue personaliter, siue essentialiter.

Obijcitur
cōtra cō-
clusionē
secūdam.

Obijcitur contra posteriorem conclusionem. Potentia importat principium elicitiuum actus, ubi igitur non reperitur actus realiter elicitus, ibi non est verè, & realiter potētia respectu talis actus, at actus notionales in diuinis, non sunt realiter eliciti, utpote quia sint idem quod ipsum agens, & ipsa potentia, qua agens agit, idem enim secundū rem est generare, quod ipsum generans, & potentia generandi: vnde emanatio actuum notionalium in diuinis, quē admodum & essentialium, non importat processum realem, ita quod actus realiter emanet elicitus à potētia, sed secundum rationē solum, igitur respectu istorū actuum non verè, & realiter est potentia in Deo.

Dilutio
obiectio-
nis.

Diluitur obiectio distinctione. Etenim verè & realiter esse potētiam respectu alicuius, contingit duobus modis. Vno modo, ut illa potētia sit verè, & realiter elicitiua illius actus, altero modo, ut sit verè & realiter elicitiua illius actus, non secundum se, sed secundum effectum verè & realiter emanantem.

Respectu
actū si-
ue notio-
naliū, si-
ue essen-
tialiū in
diuinis,
est verè,
& realiter
potentia,
non secū-
dam se,
sed secun-
dam ter-
minū re-
aliter ema-
nantem.

Est ergo prima propositio. Respectu actuum notionalium secundum se, non est verè, & realiter potētia, utpote quia actus notionales in diuinis non sunt realiter eliciti propter realem identitatem actus cum ipso agente, & potētia ad agendum, sed omnis actuum in diuinis emanatio est solum secundum rationem.

Secunda propositio. Verè, & realiter est potētia respectu actuum notionalium secundum effectum realiter emanantē. Etenim per actum notionalē in diuinis aliquid producitur realiter distinctum à producente, ut assertum & probatum est in secunda conclusione.

Tertia propositio. Non solum respectu actuum notionalium, verum etiam essentialium in materiam externam transeuntium, in quibus est creatio, est verè, & rea-

liter potētia in Deo, non secundum se, sed secundum effectum realiter emanantem. Etenim quemadmodum per actus notionales in diuinis aliquid producitur ad intra realiter personaliter distinctum à producente: sic etiam per actus essentialē transeuntes in materiam externam aliquid producitur realiter essentialiter distinctum, igitur quemadmodum respectu actuum notionalium est verè, & realiter potētia, nō secundū se, sed secundū terminū realiter emanantem, sic etiam respectu actuum essentialium. Hinc habes, quod quemadmodum potētia generandi in patre est verè & realiter principium diuinæ generationis, non secundum se, sed secundum terminum realiter emanantem, sic etiam potētia creandi in Deo, est verè & realiter principium creationis, non secundum se, sed ratione termini realiter emanantis.

QVÆSTIO. 2.

Vtrum potētia generandi in diuinis sit absolutum aliquid, aut relatum?



Pro explanatione quæstionis subijciuntur aliquot conclusiones. Prima conclusio. Potentia generandi in diuinis non est relatio, ceu in patre paternitas. Probatio. Id quo generans generat in generatione vniuoca est commune gignenti cum genito: Namque in generatione vniuoca assimilatio requiritur gignentis ad rem genitam, & contra, at paternitas non est commune quiddam patri cum filio, estque diuina generatio vniuoca, non est igitur paternitas id quo pater generat.

1. cōclasi
Potentia
generandi
nō est re-
latio.

Præterea, Quemadmodum se habet forma individualis ad indiuiduum in rebus creatis, eodem modo se habet proprietas hypostatica ad personā in diuinis, at forma individualis constituit indiuiduū & non est id quo generans generat, alioqui Socrates generaret Socratem, nam id

quo

quo generas generat est comune gignenti cum genito, igitur paternitas in diuinis non est id, quo pater generat.

Postremo, illud est potentia generandi in aliquo, in quo genitum assimilatur gignenti, atqui genitum assimilatur gignenti in natura, & filius assimilatur patri in natura diuina, non autem in relatiua proprietate, igitur natura diuina in patre est potentia generandi, non proprietate relatiua. Maioris probatio. Omne producens aliquid per suam actionem, producit sibi simile, quantum ad formam, qua agit, at id quo agens agit habet rationem potentiae, igitur potentia generandi in quolibet gignente est illud in quo genitum assimilatur gignenti.

Thomas. Thom. 1. p. q. 41. art. 5.

Secunda conclusio. Potentia generandi non est essentia diuina praecise. Probatio. Principium praecisum alicuius actionis non excedit illam actionem: atqui diuina essentia excedit actum generandi, est enim in filio, cui non conuenit generare, igitur potentia generandi non est essentia praecise.

Præterea, Essentia diuina communis est cum tribus personis, at posse generare non conuenit omnibus tribus personis, igitur potentia generandi non est ipsa diuina essentia praecise.

Postremo, principium dicitur relatione ac principiatum, si igitur diuina essentia est principium, quo pater generat, alicuius ergo principiatum principium sit oportet, at nihil est in diuinis cuius principium esse possit essentia, igitur essentia non obtinet rationem principij respectu alicuius, quod fit in diuinis. Minor ostenditur. Principium, & principiatum re ipsa distinguuntur, at nihil est in diuinis, à quo distinguatur essentia, igitur nihil est in diuinis, cuius principium esse possit essentia.

Tertia conclusio. Potentia generandi non est aggregatum aliquid ex essentia, & relatione, ita scilicet, ut aequè principaliter utrumque concurrat, ac essentia quidem sit principium communicationis, relatio vero principium productionis. Pro-

batio conclusionis. Eiusdem actionis sunt eadem principia, at communicatio naturæ, & productio filij est eadem actio, etenim pater generando filium communicat ei suam essentiam, eadem igitur est actio communicatiua naturæ, & productiua filij, ipsa scilicet generatio, non est igitur aliud principium communicationis essentiae, & aliud productionis filij.

Quarta conclusio. Potentia generandi est diuina essentia sub relatiua proprietate patris, ita ut essentia importetur in recto, & principaliter, relatio vero, siue proprietate personalis importetur in obliquo: & per quandam concomitantiam. Thomas, 1. p. q. 41. artic. 5. Egidius, 1. 5. d. 7. q. 1. artic. 2. Scotus d. 7. q. 1. Heruæus, q. 1. artic. 2. Sequitur Capræolus, 1. 5. d. 7. q. 1. Huius conclusionis pars prior ostenditur. Id quo generans generat est commune gignenti cum re genita, & tanto perfectius, quanto generatio est perfectior, at generatio diuina est perfectissima, igitur id quo pater generat est commune sibi cum filio generato, non communitate solum, & unitate specifica, verum etiam communitate, & unitate reali, at nihil est commune patri cum filio nisi sola essentia, est igitur sola essentia id quo pater generat, at id quo generans generat habet rationem potentiae, potentia igitur generandi in diuinis intrinsece, & principaliter importat essentiam.

Præterea, illud est potentia generandi, in quo genitum assimilatur generanti, at filius assimilatur patri in natura, diuina igitur natura est potentia generandi.

Postremo, Generatio est opus naturæ, est enim operatio naturæ terminata in naturam, operatio inquam naturæ, non ut quod, sed ut quo, at illud quo generans generat habet rationem potentiae, igitur diuina essentia & natura intrinsece, & principaliter est potentia generandi.

Posterior pars conclusionis ostenditur in hunc modum. Actiones sunt suppositorum, ut agentium, igitur principium formale quo agens agit, quod ipsum est forma,

4. conclusio. Potentia generandi est essentia sub paternitate.

Thomas.

Egidius.

Scotus.

Heruæus.

Capræolus.

D I S T I N C T I O N I S S E P T I M A E

siue natura ipsius agētis nō potest esse actu elicitium actionis, nisi vt stat sub personali proprietate, diuina igitur essentia non potest esse principium quo actu elicitium actionis nisi vt stat sub personali proprietate. Ex quo fit vt potentia generandi in diuinis dicat essentiam, connotando relationem, quæ est proprietas personalis in diuinis. Huius posterioris, conclusionis quartæ, particulæ est altera, eaque profundior ratio, à nobis reddenda, q. 3. huius distinctionis.

Essentia est primū diuinæ generationis principiu, at memoria fœcunda patris est proximū

Et notandum, quod essentia est principium primum diuinæ generationis, at memoria fœcunda patris est principium proximum. Est autem memoria fœcunda, intellectus paternus habens sui, diuinorumq; omnium, atq; adeo rerum omnium possibiliū notitiam. Ex qua notitia procedit verbū, vt loco suo docebimus.

R E F U T A T I O C O N C L U S .

1. Argu. Durādus

A Prima nostræ cōclusionē dissentit Durandus, 1. 5. d. 7. q. 2. his argumentis persuasus. Quando aliquid conuenit alicui, quod ipsum alteri eiusdem generis repugnat, ceu ratione vti conuenit homini, quod ipsum bruto repugnat, illud conuenit ei per rationem formalem, per quam illud ab altero secernitur, etenim vti ratione conuenit homini per rationalitatem, per quam homo formaliter à bruto secernitur, at posse generare conuenit patri, & repugnat filio, conuenit igitur patri per rationem formalem, per quam pater seiungitur à filio, hæc autem est paternitas, paternitas igitur est diuinæ generationis formale principium.

2. Argu.

Secundo. Essentia non est potentia generandi, est igitur relatio. Consecutio firma est, quoniam in diuinis nihil reperitur aliud, nisi essentia, & relatio. Antecedens ostenditur. Principium alicuius actionis non excedit illam actionem, atqui diuina essentia excedit actum generandi, est enim in filio cui non conuenit generare, igitur essentia non est potentia generandi.

Tertio. Non minus repugnat relationi esse formale principium constituendi, quā principium formale producendi, at nō obstante huiusmodi repugnantia, relatio in diuinis est constitutiuā personæ, est igitur similiter principium formale producendi.

Quarto. Sicut se habet essentia ad actus essentielles, sic notio ad notionales, at essentia est principium actuum essentialium, igitur & notio notionalium.

Confirmatur autoritate Magistri in literas dicentis posse generare non esse posse aliquid, sed ad aliquid, igitur de sententia Magistri, potentia generandi non est aliquid, sed ad aliquid.

¶ A secunda nostræ cōclusionē dissentit Alfonsus, 1. 5. d. 7. q. 1. art. 2. cōclusionē. 4. vt qui existimet essentiam diuinam præcise esse potentiam generandi. Id quod sic ostenditur. Illud est præcise principium generationis vt quo, quod est elicitiuū vt quo generationis, atqui essentia præcise est elicitium vt quo diuinæ generationis, nam relatio, etiam de aduersariorum sententia, non concurrat elicitiuē, igitur essentia præcise est potentia generandi.

Præterea arguitur vehementissimè. Principium quo generans generat, & terminus formalis generationis sibi mutuo respondent, atqui formalis terminus generationis præcise est natura, non natura sub proprietate personali, alioqui nulla generatio esset vniuoca, igitur formale principium generationis est natura præcise, & non natura sub proprietate personali.

Godfredus de Fontibus quodlib. 6. referēte Durando, 1. d. 7. q. 2. tertiæ nostræ cōclusioni repugnat hoc argumento persuasus. In omni generatione est aliquid communicatum, & aliquid productum, alioqui si omnia essent producta, iam non res gigneretur, sed crearetur, & si omnia præexisterent nulla esset generatio: quandoquidem generatio sit exitus de non esse ad esse, in diuina igitur generatione est aliquid communicatum, & aliquid productum, ac proinde aliud ibi est principium communicationis,

3. Argu.

4. Argu.

5. Argu.

Alfonfus

6. Argu.

7. Argu.

Go:fred

8. Argu.

9. Ar

10. A

Argu. tionis, & aliud productionis, ac communicationis quidem principium est essentia, productionis vero relatio: igitur potentia generandi est aggregatum quiddam ex essentia & relatione. Porro communicationis principium esse essentiam hinc intelligitur, quoniam communicationis principium non oportet distingui à re communicata, nempe cuius de ratione sit, ut sit res à multis habita, sitque proinde illis multis communis, aut communitate rationis, aut communitate reali, id quod in solo Deo cernitur.

Argu. Productionis vero principium quo esse relationem hinc ostenditur. Producens re ipsa distinguitur à producto, igitur principium quo producens producit realiter distinguitur à termino quo productum productionem terminat. Consequentia probatur. Quoniam id quod producit ex principio formali, quo producit, habet quod sit producens, quemadmodum id quod producitur habet quod sit productum ex termino formali, quo productionem terminat. Cum igitur essentia à nullo in diuinis re ipsa distinguatur, sequitur ut non sit principium productionis quo, est igitur ipsa relatio.

Argu. Quarta conclusio illis argumentis improbat, quibus est secunda conclusio improbata. Addimus & hæc duo argumenta. Principium dicitur relatione ad principiatum, si igitur diuina essentia est principium intrinsecum quo pater generat, sit oportet alicuius principiatum principium, at nihil est in diuinis cuius principium esse possit essentia: igitur potentia generandi in diuinis non dicit intrinsece, & de principali essentiam. Minor patet, quoniam principium realiter distinguitur à principiato, at nihil est in diuinis à quo realiter distinguatur essentia, igitur nihil est in diuinis cuius principium esse possit essentia.

Argu. Præterea sic arguitur. Memoria fecunda patris est potentia generandi, igitur non essentia sub paternitate. Antecedens patet, quia potentia generandi est proximum principium generationis, at memoria fecunda est proximum principium diuinæ ge-

nerationis, & non essentia, igitur potentia generandi in diuinis non est essentia, sed memoria fecunda.

DILVTIO ARGVMENT.

Ad 1. AD primum contra primam conclusionem respondetur maiorem esse veram quando illa repugnantia ortum habet ex proprietate naturæ, secus si ortum habeat ex adæquatione termini ad suum actum. Tunc enim id quod conuenit alicui, alteri eiusdem generis repugnans, non per rationem formalem, qua ab illo secernitur, conuenit, sed per aliquid prius, nempe per naturam gignentis, & geniti. Sic res habet in proposito. Nam quod filius non generet, non prouenit ex repugnantia naturæ, sed ex adæquatione ipsius ad actum generationis. Est enim filius terminus adæquatus diuinæ generationis, & ideo posse generare non conuenit patri per rationem formalem, per quam secernitur à filio, sed per illud potius, per quod pater conuenit cum filio, est autem illud natura gignentis, & geniti.

Ad 2. Ad secundum dicitur, potentiam generandi non importare essentiam præcise, & absolute, sed essentiam ut in principio non de principio, ut dicitur. q. 3. Quæcumque ut sic non sit in filio, fit ut filius non generet. Sed de hoc, q. 3. latius differemus.

Ad 3. Ad tertium, negatur maior. Nam proprietates constitutiua suppositi potest esse ratio constituendi suppositum, non tamen ratio producendi, ut patet in Sorteitate. Relatio igitur ut sit constitutiua diuini suppositi, non iam inde sequitur ut sit ratio productiua.

Ad 4. Ad quartum, negatur maior. Nam essentia non repugnat esse principium actus in diuinis, repugnat autem notioni, ut patuit ex ratione primæ conclusionis.

Ad 5. Ad quintum, sumptum ex autoritate Magistri respondetur, quod posse generare accipi potest duobus modis, vno modo pro potentia generandi, altero modo pro actu, siue pro notionem. Priori modo potentia generandi non solum est aliquid, verum etiam summum aliquid, idque intrinsece, est enim ipsa

DISTINCTIONIS SEPTIMAE

ipsa diuina essentia. At posteriori modo non est aliquid, sed ad aliquid, & sic loquitur Magister.

Ad 6.

Ad sextum respondetur, ad generationem diuinam etiam concurrere relationem, non quidem ut principium coeliciens actionem, sed ut causam sine qua non essentia esset principium generationis. Non enim natura principiat actionem, nisi ut in supposito.

Ad 7.

Termin^o formalis generatio nis intrinsece est natura, interim connotas proprietatem suppositam, sub qua natura terminat productionem sic sentit dum de principio formali generationis.

Ad septimum respondetur, formalem generationis terminum, quoad id quod dicit & importat intrinsece, esse naturam precise. Caterum quia natura non terminat actionem nisi ut in supposito: hinc fit ut terminus generationis connotet proprietatem personalem, sub qua natura terminat actionem. Ad eundem etiam modum principium generationis ut quo intrinsece est natura precise, quia tamen natura non est principium actionis, nisi prout est in supposito, hinc fit ut connotet etiam suppositam proprietatem: sub qua natura elicit actionem.

Ad 8.

Pereandem actionem pater producit filium, & communicat suam naturam filio.

Ad octauum dicitur, etiam in diuina generatione esse aliquid communicatum & aliquid productum, negatur tamen esse ibi aliud principium communicationis, & aliud productionis, siquidem communicatio essentiae, & productio filij non sint duae actiones, sed vna duntaxat. Pater enim generando communicat essentiam filio, estque ipsamet generatio actio communicatiua naturae.

Ad 9.

Ad nonum respondetur, essentiam esse principium quo productiuum filij. Et cum dicitur, Nihil est in diuinis cuius principium esse possit essentia, negatur illud. Nam essentia est principium quo productiuum filij, rursus cum subditur, principium & principiatum realiter distinguuntur, dicimus illud esse verissimum de principio quod generat, & de principiato quod generatur, non autem de principio quo generans generat, & de principiato quo genitum generationem terminat, imo vero quanto generatio est perfectior, tanto maior est in eo ipso conuenientia, ut disertissime annotauit D. Tho.

Thomas.

1. p. q. 41. art. 5. ad primum.

Ad 10.

Ad decimum respondetur, memoriam

foecundam esse potentiam generandi, tanquam principium proximum, quo pater generat: at essentiam esse potentiam generandi, tanquam principium primum, quo pater generat. Natura enim agit interuentu potentiae, ac natura est principium primum actionis, potentia vero principium proximum.

✠ QVÆSTIO. 3. ✠

Vtrum potentia generandi sit in Filio?



EXPLICATVR

quæstionibus conclusionibus: quarum hæc est prima. Potentia generandi formaliter non est in filio. Probatio. Potentia generandi formaliter importat diuinam essentiam in principio non de principio, atqui filius non est principium non de principio, sed potius principium de principio, nempe de patre, igitur potentia generandi formaliter non est in filio. Maior ostenditur. Actus primus est à prima persona non producta, at generatio est actus primus, est enim actus primæ foecunditatis in diuinis, est igitur à prima persona non producta, at in sola prima persona non producta essentia diuina est sub relatione principij non de principio, igitur potentia generandi formaliter importat essentiam in principio non de principio.

1. conclusio. Potentia generandi formaliter non est in filio.

Secunda conclusio. Potentia generandi est in filio radicaliter, siue fundamentaliter. Probatio. Radix, & fundamentum diuinæ foecunditatis, & diuinarum emanationum est ipsa diuina essentia: atqui diuina essentia perfecte est in filio, ut qui sit per omnia æqualis patri, igitur potentia generandi est in filio radicaliter, & fundamentaliter.

2. conclusio. Potentia generandi est in filio radicaliter.

Tertia conclusio. Diuinæ productiones ad vnum duntaxat productum terminantur: ita ut in diuinis neque sit, neque esse possit, nisi vnus filius, similiter neque sit, neque esse possit, nisi vnus spiritus sanctus, filius quidem à patre productus, spiritus vero sanctus ab utroque procedens. Hæc conclusio

3. conclusio. Quælibet diuina productio terminatur ad vnum productum

tribus

tribus medijs ostenditur, quorum primum sumitur ex parte processuum, secundum ex perfectione diuinarum emanationum, tertium ex perfectione diuinarum personarum.

Vnū verbum, & vnus amor solum in diuinis.

Ac ex parte processuum ita licet arguimur. Filius in diuinis procedit vt verbum, & per modum intellectus, spiritus sanctus procedit vt amor, & per modum voluntatis, at procedens vt verbum in diuinis non potest esse nisi vnus, & procedens vt amor similiter, igitur in diuinis est tantum vnus verbum, quod est filius, & vnus amor qui est spiritus sanctus. Minor patet ex eo, quia Deus quaecumque intelligit vno, ac simplici actu intellectus intelligit, & quaecumque vult & amat, vnico ac simplici voluntatis actu vult, & amat: igitur per actum intellectus vnicum duntaxat verbum profert, quod ipsum est verbum adaequatum omnium quae intelligit, & vnus spirat amorem, quo se, & omnia alia diligit.

Porro ex perfectione diuinarum emanationum sic arguitur. Quaelibet diuina productio est perfecta, igitur terminum habet adaequatum, ac proinde non potest nisi vnus per quamlibet produci.

Diuina persona procedens est perfecta.

Ex perfectione vero diuinarum personarum sic sumitur argumentum. Diuina persona procedens est perfecta, continens quidquid inueniri potest intra latitudinem illius personalitatis, filius enim Dei sic est perfectus vt contineat omnem perfectionem filiationis possibilem reperiri in diuinis. Et spiritus sanctus sic est perfectus, vt contineat omnem illius personalitatis possibilem perfectionem, igitur tantum est vnus filius in diuinis, & tantum vnus spiritus S.

REFUTATIO CONCLUS.

1. Argu.

PRIMA conclusio hoc argumento refutatur. Potentia generandi formaliter est essentia diuina praecise, atqui essentia diuina ita perfecte est in filio, sicut in patre: potentia igitur generandi formaliter est in filio. Maior patet, quoniam potentia generandi formaliter, est illud quod potentia generandi dicit intrinsece, atqui potentia generandi

intrinsece solam dicit essentiam, igitur potentia generandi formaliter sola dicit essentiam.

2. Argu.

Contra secundam conclusionem sic arguitur. Filius potest producere diuinam personam, igitur in eo reperitur potentia generandi non solum in radice, verum etiam actualiter, & complete. Consequentia nota est. Antecedens ostenditur. In quocumque cernitur principium totale, & sufficiens alicuius actionis, illud valet ad illam actionem, atque diuina essentia est totale, & sufficiens principium diuinarum productionum, & est perfecte in quolibet diuino supposito, igitur non solum filius, verum etiam & spiritus sanctus potest personam sibi similem producere.

3. Argu.

Contra tertiam conclusionem arguitur in hunc modum. Perfectionis est gignere sibi simile, at quaelibet diuina persona est perfectissima, producit igitur sibi similem personam: ac proinde actus notionales ad plures personas eiusdem rationis possunt terminari.

DILVTIO ARGUMENT.

AD primum negatur maior. Ad probationem vero dicitur, potentiam generandi formaliter includere, non illud solum quod importat intrinsece, verum etiam quod connotat, hoc siquidem est de conceptu eius formali. Vnde potentia generandi formaliter est omne illud quod includitur in eius conceptu, siue intrinsecum, siue extrinsecum, & connotatum: sic autem potentia generandi formaliter non est in filio: sed in solo patre.

Ad 1. Potentia generandi formaliter includit omne illud quod est de sui conceptu: est autem illud tam essentia, quam re: ita principij non de principio.

Ad secundum respondent quidam, in filio esse potentiam generandi in actu primo, vt pote quia in eo sit essentia, quae est sufficiens, & totale principium diuinarum emanationum, non autem in actu secundo hoc est, in filio non esse actum generandi, non quia sit impotens, aut infecundus, sed quia generatio expleta est in illo, tanquam in adaequato termino diuinae generationis. Hac opinio est Alfonsi. 1.5.d.6.q. 2.art.2.conclus.1. & 2.

Ad 2. Alfonsus

Contra hanc sententiam nos sic argumentamur. In diuinis esse & posse non differunt;

ferunt, igitur si filius est fecundus, potes-
que generare, generat igitur, ac proinde
non solum in eo est potentia generandi, ve-
rum etiam actus generationis.

Præterea, potentia ordinatur ad actum,
igitur tollere possibilitatem ad actum est
tollere potentiam, igitur si in filio non est
possibilitas ad actum generandi, efficitur
ut neque in ipso sit potentia generandi, ne-
que actu primo, neque secundo.

Quocirca aptius dicitur in filio, neque
actu primo, neque actu secundo esse poten-
tiam generandi, siquidem potentia gene-
randi formaliter importet essentiam diui-
nam ut in principio, nõ de principio, quo-
modo essentia non est in filio, licet in filio
sit potentia generandi radicaliter. Est si-
quidem in filio essentia diuina, quæ est ra-
dix diuinæ fecunditatis.

Ad argumētum igitur respondetur ne-
gando antecedens. Ad probationem vero
dicitur, essentiam diuinam præcise non esse
totale principium diuinarum productio-
num, sed connotando certam proprietate-
tem, quæ cū ut sic non sit in qualibet per-
sona, sequitur ut in qualibet persona non
sit principium productiuum ad intra. Vel
certè dicitur ad minorem, essentiam esse
sufficiens principium ut quo diuinarū pro-
ductionū radicale, nõ formale, & proximū.

Hinc habes primum, Filium non posse
generare, tum quia non habet potentiam
generandi formaliter, tum quia fecundi-
tas ad generationem in ipso tanquam in
adæquato diuinæ generationis termino
expleta est. Habes secundo, quod & si diui-
na essentia sit radix diuinæ fecunditatis,
non tamen ut fecunda est in tribus per-
sonis. Nam ut fecunda ad generandum
solum est in patre, tum quia solus pater
habeat potentiam generandi, tum quia in
filio producto expletur illa fecunditas. Ut
fecunda vero ad spirationem solum est in
patre, & filio, tum quia in patre & filio so-
lum reperitur potentia spiratiua, tum quia
in spiritu sancto expleta est illa fecundi-
tas: vnde neque filius potest generare al-

terum filium, neque spiritus sanctus alte-
rum spiritum sanctum spirare.

Hinc iam patet ad tertium argumētū
responsio, Etenim non est ex imperfectio-
ne diuinarū personarum: imo vero ex per-
fectiōe, quod quælibet diuina persona alio-
qui perfectissima sibi similem non gene-
ret, ut satis intelligitur ex probatione ter-
tiæ conclusionis. Continet enim quælibet
persona diuina quidquid pertinet ad ratio-
nem, & perfectionem suæ personalitatis,
& ideo diuinus pater non compatitur se-
cum alterum patrem, neque Dei filius al-
terum filium, neque spiritus sanctus, alte-
rum spiritum sanctum.

DISTINCTIO OCTAVA.

¶ Resolutio distinctionis octauæ.

Distinctione octaua tractatur à Ma-
gistro tres diuinæ nature proprie-
tates, nempe veritas essendi, incommuta-
bilitas, simplicitas. Quocirca ex hac dis-
tinctione colliguntur tres conclusiones.

Prima conclusio. Deus verissime, et
propriissime est. Probatio. Id quod sem-
per, et eternaliter est, quodque neque
esse cepit, neque esse desinit, et cuius es-
sentia, neque præteritum nouit, neque fu-
turum, illud verissime est: Deus est hu-
iusmodi, ut patet ex autoritate Hiero-
nymi citata in litera, igitur Deus ve-
rissime, ac propriissime est. Imo vero so-
lus Deus est. Nam nostrum esse ipsi di-
uino esse comparatū non est, utpote quia
neque semper fuerit, et possit non esse.

Secunda conclusio. Deus est omnino
immutabilis. Probatio. Deus tam substā-
tialiter, quā accidentaliter est immutabilis,

igitur

igitur Deus est omnino immutabilis. Cōsecutio nota est. Antecedens probatur à Magistro cum authoritatibus scripturae, tum testimonijs sanctorum. Hinc colligit Magister interpretationē illius dicti apud Paulum .1. Timo. 6. Qui solus habet immortalitatem, id est, omnimodam immutabilitatem. Nam authore Augustino lib. 3. contra Maximū cap. 12. Nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid non esse quod erat.

Tertia conclusio. Deus est summē simplex, utpote quia careat omni compositione, siue intrinseca ex partibus, siue extrinseca per informationem, et inherēntiam, id quod probat Magister authoritatibus sanctorum.

Postremo, obijcit Mag. duplici argumēto contra tertiam conclusionē, et soluit. etc.

✠ Q V A E S T I O . 1 . ✠

Vtrum esse in rebus creatis distinguatur ab essentia?



DI S T I N C T I O N E octava explicatur tres, quae Deo maximē conueniunt, diuinæ naturæ perfectiones, nempe veritas essendi, immutabilitas, simplicitas, minus fortasse accommodatē ad institutam de personis diuinis, de quae ipsarū distinctione disputationem. Quod igitur attinet ad caput primū, in quo tractatur de esse ipsius Dei, quari duo consueuerunt, primum vtrum Deus sit suum esse, secundum, vtrum in rebus creatis esse distinguatur ab essentia. Priore igitur illo prætermissio, quoniam illud in considerationem diuinæ simplicitatis incurrit, de posteriore quæritur, an ne in rebus creatis esse distinguatur ab essentia?

Pro quæstionis explicatione notandum est, esse dici quatuor modis. Est enim esse essentia, esse actualis existentia, esse substantia, esse propositionis. Esse essentia est illud quod definitione explicatur. Nā definitio quid res quæque sit declarat. Esse actualis existentia, est actualitas quædam conueniens rei prout est extra suā causam, & extra intellectum. Tum enim res quæque dicitur existere, cū neque potestate causæ, neque mentis perceptione cōtinetur. Esse substantia est existere citra dependentiam ab altero, siue citra inherēntiam in altero. Ex quo efficitur substantiam adiungere existentia modum quendam per se essendi, qui solis primis substantijs conuenit. Esse propositionis consistit in compositione quadam prædicati cū subiecto, qua efficitur vt oratio verum aliquid, falsum uē significet.

Esse essentia esse existentia esse substantia. Esse propositionale.

His in hunc modum prænotatis, cum de esse actualis existentia in proposito quæritur, subiiciuntur duæ conclusiones, quarum prior est huiusmodi. Essentia cuiuslibet rei, & sua actualis existentia non sunt duæ res distinctæ. Hoc visum est viris doctissimis nempe Durādo, 1. 5. d. 8. q. 2. Hærico in summa, q. 23. art. 2. & quodlibet 1 q. 8. & quodlibet 3. q. 9. Heruæo, 1. 5. d. 8. q. 1. Aureolo apud Capræolum, 1. 5. d. 8. q. 1. Gotfredo in quodlibetis. Pro hac sententia & opinione hæc suppetūt argumenta. Primum argumentū est huiusmodi. Si actualis existentia esset entitas superaddita essentia cuiuslibet rei, aut illa entitas esset substantia, aut accidens. Non substantia, nam aut esset materia, aut forma, aut compositum: non materia, nam materia est ens in potentia, existentia vero est actus, non forma, ita enim fieret vt in eadem re multæ formæ substantiales existerent, nō est igitur actualis cuiusque rei existentia in substantijs. Neque itidem est accidens, partim quia substantia haberet esse per id quod est accidens, partim quia accidens supponit receptiuum suum esse actu, ac proinde fieret vt essentia quæ recipit existentia, existeret sine actuali existentia, quod est impossibile.

r. cōclus.

Esse actualis existentia nō distinguitur realiter ab essentia. Durādas Hæricus Heruæus. Aureolus Gotfredus

Præter-

D I S T I N C T I O N I S O C T A V A E

Præterea, si esse realiter distinguitur ab essentia, igitur quælibet creatura per se componitur ex esse, & essentia, at in omni per se compositione, vnum componentium habet se vt actus, alterum vero vt potentia perfectibilis ab illo actu, relinquatur igitur in compositione essentia, & esse in rebus creatis, vnum se habere vt actum, alterum vero vt potentiam. Aut igitur essentia se habet in potentia ad esse, aut contra, non esse ad essentiam, vt patet, igitur essentia ad esse. Iam si essentia est in potentia ad esse, aut igitur in potentia essentiali, aut accidentaria, non in potentia essentiali, nam quod est in potentia essentiali, est in potentia simpliciter, & quod est in potentia simpliciter est pura potentia, iam autem essentia rei cuiuslibet est actus, aut includens actum. Neq; itidem est in potentia accidentaria. Ita enim fieret, vt essentia esset actu ens sine esse. Nam quod est in potentia accidentaria est actu ens.

Ad hæc, nulla res est aliud ab eo, quo formaliter est extra nihil, quamuis sit aliud ab eo, quo effectiue est extra nihil, etenim res quæq; sua quiditate est extra nihil, atqui essentia est extra nihil per esse tanquam per ultimam actualitatem, igitur esse non est aliud ab essentia.

Posterior conclusio. Esse est modus intrinsecus essentia, siue actualitas quadam consequens naturam singularem prout est effectus agentis. Prior huius conclusionis pars, nempe quod esse existentia sit modus rei quidam, hinc intelligitur, quoniam esse in causa, est modus quidam rei qui dicitur potentialitas, igitur esse extra causam est modus rei, qui dicitur actualitas. Consequenter patet quia oppositorum est opposita ratio. Posterior vero conclusionis pars ex eo ostenditur, quoniam simul ac res ponitur in effectu, ponitur ipsius esse, siue existentia actualis.

Hinc primum sequitur, esse, non esse realitatem quandam additam essentia, siquidem modus rei non dicit distinctam entitatem. Existentia igitur importat realitatem

essentia, interim connotando quod sit extra causam, & extra intellectum.

Sequitur secundo, existentiam consequi naturam, non per effluxum à natura ceu proprietatem, sed per modum cuiusdam terminationis, vel sequelæ, siue naturalis comitantia. Terminationis quidem, siquidem effectio rei terminatur ad esse. Est enim esse vltima actualitas rei, ex quo fit, vt in rei quidem constitutione sit vltimum, in dissolutione vero sit primum. Sequelæ vero, & concomitantia, quoniam rei positæ in effectu continuo adest ille modus.

Sequitur tertio, esse immediatius se habere ad essentiam, quam quoduis aliud naturam singularem consequens. Nam cætera omnia præsupponunt esse.

Postremo illud est consequens, accidentia habere proprias actualitates & existentias, vt in subiecto tamen. Sic enim terminant factionem. Ex quo efficitur vt dicantur potius inexistere, quam existere. Hæc mihi videtur verior, & probabilior sententia.

R E F U T A T I O C O N C L U S .

Ab hac tamen nostra sententia, quæ probabilior esse putamus, dissentiunt viri doctissimi, Thomas, 1.5.d.8.q.4.art.2. Item, 1.p.q.3.art.4. Item, 2.contra Gent. cap.51. Egidius, 1.d.8.q.2.art.1. & postremo omnes D.Thomæ studiosi. Porro vt contra existiment, his sunt argumentis adducti.

Primum sic argumentantur. Nihil potest intelligi sub opposito eius quod est idem re ipsa cum illo, at verè potest intelligi essentiam non esse, veluti rosam non esse, non est igitur idem quod essentia.

Secundo. Nihil est in potentia ad seipsum, at essentia est in potentia ad esse, est siquidem esse vltima actualitas essentia, recepta in essentia, igitur esse non est idem quod essentia.

Tertio. Si esse creatum non distinguitur ab essentia, esse creatum esset subsistens, & illimitatum, subsistens quidem, quia non receptum, illimitatum vero, quia esse secundum se nullam sibi vendicat limitationem.

Itaq;

2. conclus.
Esse est modus quidam intrinsecus essentia.

1. Corol.

2. Corol.

3. Corol.

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

Itaq; fieret, vt esse creatum æquaretur esse diuino, quod ipsum est illimitatum, & subsistens.

4. Argu. Quarto inesse accidentis realiter distinguitur ab accidente, cui rei fidē facit ipsius à forma accidentariæ realis separatio in sacrosancto Dominici corporis sacramento: igitur & esse substantiæ distinguitur realiter ab ipsa essentia substantiæ. Consecutio probatur, Quoniã ita se habet actualis existentia substantiæ ad substantiam, quemadmodum inesse ipsius accidentis ad accidēs. Etenim accidentis esse est inesse.

Corol. Argu. Quinto. Si esse creaturæ non distinguitur realiter à creatura, sequitur vt creatura sit suum esse, Quid ergo interest inter creatorem, & creaturam?

Postremo, accedit ad confirmationem Seuerini authoritas in libro de Hebdomadibus, quo loco ait, differre in rebus creatis quod est & quo est, & id quod est participare ipsum esse.

DILUTIO ARGUMENT.

Ad 1. PRIMUM argumentum diluitur explanatione maioris propositionis. Etenim propositio maior vera est, si illud, sub, denotet conditionem rei subiectæ, vt scilicet illud manens subijciatur opposito eius, quod est idem cū illo. Fieri enim non potest vt homo manens homo sit subiectum differentia inanimati. Cæterū facta essentiali transmutatione, verè potest illi oppositum conuenire, ceo homini mortuo esse rem inanimem. Ita fieri non potest vt essentia manēs essentia subijciatur ipsi non esse. Ita enim fieret, vt simul esset, & non esset. Facta tamen transmutatione rei, quæ est actu, potest verè intelligi essentiam non esse. Nam ens in potentia non est ens actu.

Ad 2. Ad secundum dicitur, Nihil esse in potentia subiectiua ad se ipsum. Nam illud ad quod aliquid est in potētia subiectiua omnino distinguitur realiter à receptiuo, est enim actus ipsi adiunctus, vt forma materiæ, & perfectio perfectibili. Cæterum id quod est in potentia obiectiua, quo modo

effectus potestate causæ continetur, nō distinguitur realiter ab eo in cuius potestate continetur: sed solum essendi modo differt ab eo. Namque ens potentia, & ens actu sunt vnum, & idem. Idem enim est quod potestate causæ continetur, & quod actu ponitur, solo differunt essendi modo. Essentia igitur est in potentia ad esse, non quidem subiectiua, vt scilicet esse sit actus receptus in essentia tanquam in subiecto, sed est in potentia obiectiua ad esse. Namque potest esse obiectum operationis diuinæ ipsam actu producentis, quemadmodum etiam dicitur in potentia ad non esse, quia potest esse obiectum operationis diuinæ subtrahentis influentiam, qua subtrahenda cederet in nihil. Ita essentia vt in potentia est in potentia ad seipsam prout in actu consideratur.

Ad tertium, negatur sequela. Nam aliquid esse irreceptū contingit duobus modis, vno modo per indistinctionem vnus ab altero, altero modo, quia non est ab alio participatum effectiue. Prior irreceptio nō efficit, vt irreceptum sit subsistens, posterior vero efficit. Esse igitur est irreceptum priori modo, quia scilicet est indistinctum ab essentia, non posteriori modo: est enim actualitas quædã conueniēs essentiæ prout est effectus agentis: vnde nō sequitur quod si non sit actus receptus, sit iam subsistēs. Et quia esse creatum est ab alio participatū effectiue, ideo est limitatū quiddam. Nam omne creatum qua huiusmodi est definitum quiddam, & limitatum.

Ad quartum, negatur consecutio. Ad probationem vero dicitur, ipsum inesse nō esse actualitatem accidentis. Porrò accidentis esse est inesse secundum naturalem concomitantiam, ob id scilicet quia nunquam actualis existentia naturaliter conuenit accidenti, nisi in sit. Nam sic terminat effectum agentis. Dicimus, naturaliter, vt excludamus species sacramentales: quæ vi supernaturali citra subiectum existunt.

Ad quintum, negatur sequela. Nam illud solum

Essentia est in potentia ad esse, non quidem subiectiua, sed obiectiua.

Ad 3. Aliquid esse irreceptum contingit duobus modis.

Ad 4. Accidentis esse est inesse per naturalem concomitantiam.

Ad 5.

solum est suū esse, quod non habet esse ab alio, estque omnino independens, & per se subsistens. At nihil creatum habet ex se esse, nam & essentiam, & esse participat: essentiam quidem formaliter, ut quæ sit ad exemplar divinæ essentiae effecta, esse vero effectivè. Est siquidem actualitas conveniens essentiae prout cadit sub effectiōnem Dei. Ita fit ut res creata participet esse essentiae interne, esse vero actualis existentiae externe. Quia vero divinum esse non est ab alio, neque formaliter, neque effectivè participatum, idcirco Deus est suum esse, cum essentiae, tum existentiae, & ob id per excellentiam dicitur *ipsummet esse*, & ipsamet essentia.

Ad 6. Ad sextum, dicitur esse creatū dici participatū, non quia est actus in potentia receptus, sed quia est modus internus habes se per modum partis, quomodo humanitas se habet ad hominem, & omnino abstractum ad concretum. Significatur enim concretum per modum totius & habentis, abstractum vero per modum partis, & rei habitæ. Vel dicitur participatum, quia collatum cum divino esse perfectissimo diminutum quiddam est, & imperfectum. Etenim quod imperfectè alicui convenit dicitur participari, si conferatur cum eo, cui illud perfectè convenit. Ita calor aëris dicitur calor participatus cum calore ignis comparatus.

DEFENSIO OPINIONIS
D. Thomæ.

Quoniam vero hanc nostram sententiam nō sic amplectimur, quin putemus eidem contrariā posse defendi: reliquum est ut argumēta diluamus ea, quibus nostram sententiam confirmavimus.

Ad r. contrariæ opinionis. Primum igitur argumentū diluitur duobus modis, vno modo ut dicatur esse non sibi vindicare certum genus, sed ad illud genus reduci, in quo genere est id cuius est esse. Nam actus, & potentia in eodem genere ponuntur. Ita esse substantiæ ad substantiam, esse vero accidentis ad genus ac-

cidentis reducitur. Posteriori modo respondetur, esse actualis existentiae esse in accidentibus eo modo, quo omne id quod ad rei essentiam non pertinet dicitur esse accidens: neque oportet tale accidens presupponere subiecti existentiam, imo vero potest actualius eo cuius est tale accidens.

Ad secundam respondetur concedendo sequelam. Ad improbationem vero respondetur aliquid esse in potentia simpliciter duobus modis, vno modo quia omnino, & simpliciter non est actus, neq; actuās aliquid, sed purum actuabile, ac hoc modo sola materia est in potentia simpliciter. Altero modo aliquid dicitur in potentia simpliciter, quia se solo non sufficit ad hoc, ut sit in actu, sed est in potentia ad aliquid, per quod efficitur in actu, per quod ipsum cum est in actu potest aliud actuare. Ac hoc modo essentia est in potentia simpliciter ad esse, quod est actus ipsius.

Ad tertium, negatur minor. Nam essentia se ipsa formaliter est extra nihil, licet ut subest ipsi esse, per illud sit existens denominativè, & subiectivè. Imo vero id quod formaliter existit per esse est ipsum compositū ex essentia, & esse. Nam quod existit est ipsum suppositū, esse vero est principium formale, quo existit. Notandum est hoc loco ipsum esse creaturæ non propriè esse, sed esse rationem existendi alteri, quemadmodum neque propriè est creatura, sed dispositio quædam creaturæ, neq; propriè creatur, sed concreatur.

QVÆSTIO. 2.

Vtrum aliquod ens à primo ente sit necesse esse?



Quod attinet ad secundum attributum, nempe incommutabilitatem, adducitur in quæstionem: vtrū aliud ens à primo ente sitens necessarium? Sunt qui soli Deo necessitatem essendi tribuant, cætera vero alia esse contingen-

Nihil creatū est suum esse.

Essentia est in potentia simpliciter.

Ad 6.

Ad 3.

Ad r. contrariæ opinionis.

Ad 2.

Creatura componitur ex essentia & essentia.

In potentia simpliciter aliquid est duobus modis.

Ad 3.

solum Deum habet esse di necessitate.

solusDeus
habet ef-
fendi ne-
cessitate.

tingentia, ac possibilia confirmant. Ac solum Deum esse ens necessarium, sic ostendunt. Illud est necesse esse, quod habet ex se esse, quodque est omnino independens, illud porro habet ex se esse, quod non habet ab alio essendi causam, illud vero est omnino independens, quod omni alio ente sublato adhuc habet esse, quodque non potest non esse. Atqui solum primum ens est huiusmodi, omnium cum philosophorum, tum theologorum consensu, sequitur igitur ut solum primum ens, sit ens necessarium. Cætera vero esse contingentia, & possibilia ostendunt in hunc modum. Illud est possibile, & contingens, quod non habet ex se esse, sed ab alio, quodque omni alio ente sublato, non habet esse, atqui omne creatum est huiusmodi, etenim & à primo ente habet esse, & eo sublato esse desinit, est igitur omne creatum ens possibile, ac contingens. Hæc est sententia Auerr. 12. Metaphy. eadē etiam Avicenæ. 2. suæ Metaphys. cap. 23.

Auerr.
Avicena.

Scotus.

In eandem sententiam ex theologis descendit Scotus, 1. 5. d. 8. q. 4. Existimat enim omne productum ab alio esse contingens, nempe quia ex se non habeat esse, & sibi derelictum desinat esse.

Omne ens
creatum est
possibile,
& contin-
gens.

Hæc porrò Scoti sententia his argumentis stabilitur. Omne ens creatum consideratur aut in esse reali, & actuali, aut in esse ideali, ac utroque modo ens creatum est contingens, & possibile, igitur omne esse creatum est contingens, & possibile. Minoris prior pars ostenditur. Quidquid pendet ex divina voluntate libera contingens est, & possibile, atqui esse creaturæ pendet ex divina voluntate, eaque libera, ex divina quidem voluntate, quoniam cum voluntas Dei sit causa rerum, creaturæ hæc tenus sunt, quatenus Deus ipsas esse voluit, ex libera vero, quoniam Deus extra se nihil vult necessariò, esse igitur reale & actuale creaturarum est contingens, & possibile. Posterior vero pars minoris sic ostenditur. Ideæ rerum sunt contingentes, igitur creaturæ in esse ideali sunt contingentes. Con-

secutio patet, ostenditur antecedens. Idea est ratio rei factibilis, quæ futura aliquando actu est, sed habitudo divinæ voluntatis ad ea quæ actu sunt pro aliqua differentia temporis, est contingens, & libera, igitur ideæ rerum non sunt in Deo necessariò, sed contingenter & liberè, posita scilicet voluntate divina res ipsas procreandi.

In eandem sententiam ita licet argumentari. Accipio Angelum, & cæleste corpus, aut igitur illud est ens possibile, aut necessarium, si possibile, effectum est propositum, si vero necessarium, igitur per nullam potentiam potest non esse, non per potentiam internam, ut patet ex sententia adversariorum, neque per externam Dei, namque necessarium est quod impossibile est non esse, iam vero nulla vis se extendere potest ad impossibile. At omne creatum, quemadmodum ex nihilo ad esse vi divina potuit produci, sic etiam ex aliquo in nihil eadem vi redigi potest.

Cæterum alijs multis visum est esse aliqua entia necessaria, ceu substantias separatas, & cælestia corpora. Id vero persuasum nobis hac ratione esse voluit. Non omnis creatura est mutabilis in non esse per internam potentiam, igitur aliqua creatura est necessarium ens. Consecutio probatur, quoniam id verè de aliquo, ac simpliciter enunciatur, quod convenit ei ab intrinseco, siue per naturam. Antecedens ostenditur. Omnis creatura, quæ est mutabilis in non esse per internam potentiam habet aliquid potentiale, quod possit subesse illius creaturæ non esse, at sunt aliqua creaturæ, quarum potentiale non potest subesse non esse illarum creaturarum, igitur non omnis creatura est mutabilis in non esse per potentiam internam. Maior cernitur in corruptione aeris, cum vertitur in ignem. Etenim potentiale aeris subest formæ ignis, cum qua coniuncta est privatio formæ aeris. Minor patet in corporibus cælestibus & substantijs separatis.

Aliqua
entia crea-
ta sunt ne-
cessaria.

L Etenim

D I S T I N C T I O N I S O C T A V A E

Etenim potentiale corporū cœlestium non potest subesse non esse ipsorum corporum, utpote quia exui nō possint formis ijs, quas habent: ut probatur in philosophia. Itidem potentiale Angeli non potest subesse non esse ipsius Angeli. Nam potentiale Angeli est ipsa eius essentia, cuius actus est esse Angeli, cunque esse consequatur naturam, sicut effectus causam, sequitur ut manente Angelica natura, non possit vlllo modo fieri, ut esse separetur à natura, non potest igitur potentiale Angeli subesse ipsi non esse, ac proinde non omnis creatura est mutabilis in non esse per potentiam internam.

Possibile
physicū.

Hęc controuersia explicatur à nobis positis nonnullis distinctionibus. Prima distinctio est de possibili. Etenim possibile accipitur bifariam. Vno enim modo dicitur aliquid esse possibile, quia habet in se ipso potentiam ad aliquid siue agendum, siue patiendum. Hoc modo possibile esse dicimus hominem ambulare, & hominem mori, nempe in quo vis insit interna cum ad ambulandum, tum ad mortem subeundam. Altero modo dicitur aliquid esse possibile per non repugnantiam terminorum, nempe quia illo posito, nulla sequitur repugnantia: hoc modo possibile esse dicimus, esse duos soles. Illud prius dici cōsuevit possibile reale, & physicum, hoc vero posterius, logicum.

Possibile
logicum.

Secūda distinctio est de impossibili. Etenim impossibile totidem modis accipitur. Nam impossibile dicitur, & per carentiam principij interni actiui, aut passiui, & per non repugnantiam terminorū, cum scilicet eo posito consequitur repugnantia, veluti hominem esse equum. Hoc siquidem posito, sequitur hominē esse cum rationis participem, tum eiusdem expertem.

Impossi-
bile phy-
sicum.

Impossi-
bile logi-
cum.

Tertia distinctio est de necessario. Namque necessarium accipitur duobus modis, vno modo absolute, altero modo ex adiunctione vel finis, quo modo dicimus necesse esse viventē respirare, vel causæ effectiuæ, quo modo dicimus esse necessarium lapidē sursum proiectum ascendere. Porro neces-

Necessa-
rium ab-
solute.

Necessa-
rium ex
adiun-
cti-

sarium absolute accipitur duobus modis, vno modo per potentiam, eamque consequentem aut formam, ut hominem esse risibilem, aut materiam, ut compositū ex contrarijs corrūpi. Altero modo dicitur aliquid necessarium absolute per habitudinem terminorum, cum scilicet habitudo prædicati ad subiectum est necessaria, ut hominem esse animal, Deum esse. Tunc autem habitudo prædicati ad subiectum est necessaria, cum oppositum prædicati infert oppositum subiecti.

one finis,
aut causæ
effectiuæ.

His in hunc modum prænotatis, ponuntur nonnullæ conclusiones. Prima conclusio. Substantiæ separatae & cœlestia corpora sunt entia possibilia, & contingentia posteriori modo, hoc est, per non repugnantiam terminorum, non enim si omnino è medio tollantur, iam inde sequitur aliquid impossibile, quæ eadem Deus, subtracta influentia, potest in nihilum redigere, non autem priori modo, hoc est, per internam potentiam, utpote in quibus non sit internum suæ desitionis principium.

1. cōclus.

Secunda conclusio. Substantiæ separatae, & cœlestia corpora non esse, est impossibile priori modo, nempe quia careant interno suæ desitionis principio, posteriori vero modo non item, non enim si esse desinant, iam sequitur contradictio.

2. cōclus.

Tertia conclusio. Substantiæ separatae, & cœlestia corpora sunt entia absolute necessaria priori modo, hoc est per internam potentiam, etenim nihil habent potentiale, quod possit subesse ipsi non esse, non autem posteriori modo, hoc est, per habitudinem terminorum, non enim est necessaria coniunctio ipsius esse cum essentia aut Angeli, aut corporis cœlestis.

3. cōclus.

Quarta conclusio. Deum esse est necessarium omnibus modis. Etenim & ex natura sua habet, quod sit necessario, & est necessaria coniunctio ipsius esse cum diuina essentia, vsq; adeo, ut si non sit, nihil sit omnino: neque actu, neque potentia.

4. cōclus.

Quinta conclusio. Solus Deus gloriosus est ens summe, & omnibus modis necessarium, solus

5. cōclus.

solus enim Deus habet ex se esse, & omnino independēs, ex quo efficitur vt per nullam potentiam, siue internam, siue externā possit non esse. Ita omnis est controuersia dirempta, atque cōposita. Est enim quatenus concedamus nihil aliud à Deo esse necessarium, & quatenus concedamus aliquid aliud à Deo esse necessariū. Nihil aliud à Deo est necesse esse, logice, & per habitudinem terminorum. Aliquid vero aliud à Deo est necessarium esse, physice, & per internam potentiam.

Hinc iam patet argumentorū ad vtranque partē quaestionis explicatio. Quod igitur attinet ad primum Auerrois, & Auicennae argumentum, damus eis, soli Deo cōuenire necessitatem essendi simpliciter, & omnibus modis, cui tamen nō repugnat esse aliqua entia necessaria absolutē, & impossibilia non esse primo modo, hoc est, per causam internā. Dicimus etiam, omne creatum esse contingens, & possibile primo modo, vt patet ex prima conclusione.

Doctissimo etiā Scoto cōcedimus, omne creatū esse possibile, & contingens per relationem ad causam productiuā, & per potētiam externam producētis, non tamen per potētiam internā, vt patet ex 1. cōclusionē.

Ad tertiū, cōcedimus esse reale, & actuale creaturarū esse contingēs in ordine ad causam productiuam. Quemadmodū enim cū non erat, potuit non poni in esse, ita etiam cum est, potest desinere esse, Deo influentiā subtrahente. Huic tamen non repugnat, vt alicuius creaturae esse actuale sit necessariū, & impossibile non esse, per potentiam internam. Quod vero ad esse rerum ideale pertinet, dicimus ideā posse spectari duobus modis, vno modo prout est ratio faciēdi, altero modo prout est ratio cognoscēdi. Ac idea priori modo accepta dicitur exemplar: posteriore modo accepta dicitur ratio. Item idea priori modo solū est rerum possibiliū, quae aliquando erunt, at idea posteriori modo est etiam rerum possibiliū, quae nunquā erunt. Ac hoc modo in Deo erat idea salutis Sydoniorum, & Tyrorum, quae

possibilis erat, nunquam tamen futura erat, vt patet Matth. 11. Luc. 10. Quamuis igitur res non necessariam habeant habitu dinem ad ideam tanquā ad exemplar, sed ex praedeterminatione diuinæ voluntatis statuētis dare esse rebus, habent tamen necessariā habitudinem ad ideam prout est ratio. Ac hoc modo idea in Deo, non habet esse cōtingens, & liberum, sed necessarium: & in illo esse ideali omne creatū, & creabile habet esse necessarium.

Ad quartū respondetur, Angelos, & celestia corpora esse entia, tum possibilia, tum necessaria, modis iam expositis. Vis autem nulla se potest extēdere ad id quod est simpliciter impossibile: est autē illud, quod est impossibile per repugnantiam terminorū.

QVAESTIO. 3.

Vtrum Deus sit summe, ac simpliciter simplex?



Tertium diuinæ naturæ attributū est summa simplicitas, iam ergo quaeritur sit ne Deus summe simplex? Subijcitur vnica conclusio in qua omnes Theologi consentiunt. Deus est summe, & simpliciter simplex. Probatio. Carēs omni compositione est summe, & simpliciter simplex, atqui Deus caret omni cōpositione, est igitur summe, & simpliciter simplex. Cōsequēntia cum maiori, ostenditur minor. Omnis compositio est aut realis, aut logica, neutram admittit diuina essentia, caret igitur diuina essentia omni cōpositione. Minor ostenditur. Compositio realis aut est physica, quae scilicet constat ex coniunēctione aut formae substantialis cum materia, aut formae accidentariae cum subiecto, aut est Metaphysica, quae scilicet coniunēctione actus cū potētia perficitur, aut est Mathematica, quae in quātitate posita est, & in dimensionibus corporis, compositio vero Logica constat ex genere, & differentia, at nulla

Vnica cōclusio.

Deus est summe simplex.

harum compositionū potest in diuinam essentia cadere: igitur diuina essentia nō recipit cum realē, tum logicam compositionē.

Deus non constat ex forma & materia.

Nunc superest vt ostendamus singulas partes minoris. Principio, in Deum non cadere physicam compositionē eam, quæ cōstat ex forma & materia hinc primū intelligitur, quoniā omne compositū ex materia & forma habet causam tam internā, quam externā, internam quidem nempe ipsam materiam & formam, ex quibus inter se cōiunctis, & quasi cōglutinatis essentia totius existit, externā vero, nempe causam efficiētem coniungentem formam cum materia, at Deus cum sit prima causa non habet causam ex qua aut interne, aut externe dependeat, igitur. etc. ¶ Deinde, Deus est ens sūme, ac simpliciter necessariū, igitur nō constat ex materia & forma. Antecedens patet ex superiore quæstione, Conseq. probatur. Ens sūme ac simpliciter necessariū est illud qđ est omni alio sublato, at si materiā, aut formā tollas, cōpositū iam nō est, igitur De⁹ esse, nō pōt cōpositus ex materia, & forma.

Deus non constat ex subiecto, & accidente.

Neq; itidem in Deum cadere pōt physica cōpositio ea, quæ constat ex subiecto, & accidente. Nam cum omne accidens habeat causam efficiētem, est enim ens maximē dependens, accidens illud qđ faceret compositionē cum Deo, sit effectū necesse est, aut igitur ab alio, aut ab ipso Deo effici illud oportuit, non ab alio, nam cū illud accidens sit ens absolutum, omne autē absolutum in Deo sit perfectio simpliciter, eveniret vt Deus non haberet à se, & ex se omnē perfectionem simpliciter, id quod repugnat enti perfectissimo. Neq; etiam illud accidēs ab ipso Deo effici potuit. Nā sic fieret vt Deus esse non posset ad illud in potentia subiectiva: id vero sic ostenditur. Nihil idem, secundū idem, & respectu eiusdem esse potest simul actu, & potentia, sed Deus, ex hypothesi, est causa efficiens accidentis sibi inherētis interuentu essentia, non igitur esse potest in potētia subiectiva respectu eiusdē.

Deus non constat ex

Neque etiam in Deū cadere pōt compositio Metaphysica, quæ constat ex actu, &

potentia. Nam Deus est actus purus, at actus purus est actus non admistus potētiæ, igitur Deus caret cōpositione Metaphysica ex actu, & potentia. Conseq. nota cum minore, maior ostēditur. Actus est simpliciter prior potentia, vtpote per quē potentia traducatur ad actum, at Deus est ens simpliciter primum, est igitur actus, & sic actus vt nihil habeat admistum potentia, ac proinde est actus purissimus, separatissimus, & vt ita loquar, actualissimus.

actus & potentia.

Neq; etiam in Deum cadit Mathematica compositio, quæ ex quantitate, & dimensionibus, ac mole corporea cōstat: tum primo, quia omne corpus mouet motum, De⁹ autē est mouens immobile: tum secūdo, quia Deus est actus purus expers omnis potētiatatis, iam autē omne quantum, & corporea mole præditū est in potentia, siquidē omne continuū qua huiusmodi sit in infinitū partibile: tum tertio, quia Deus in entibus est ens nobilissimū atq; præstantissimū, nullū autē corpus esse potest nobilissimū in entibus, nō corpus inanimatū, nam corpus animatū est eo nobilius, neq; corpus animatū, nam id quo viuit, & sentit, nempe animus est eo præstantior, atq; nobilior, igitur Mathematica compositio non cadit in Deum.

In Deum non cadit Mathematica compositio.

Restat vt ostendamus, neq; Logicā compositionē in Deum cadere. Id vero ostenditur in hunc modū. Compositio Logica, quæ ex genere constat, ac differentia, fundatur in cōpositione Metaphysica, quæ cōstat ex actu & potentia, at iam demonstrauius Deum esse expertem cōpositionis Metaphysicæ, est igitur expers & Logicæ cōpositionis. Conseq. nota est cū minori, ostenditur maior. In Logica compositione genus est quiddam actuabile, & formabile, ac proinde quiddam materiale, & potentiale, differentia vero est quiddam actus formans, & specificans, igitur Logica compositio in cōpositione Metaphysica fundatur ea, quæ ex actu constat, & potentia. Tho. i. p. q. 3. art. 5.

In Deum non cadit Logica compositio.

Præterea, partes rationis, nempe genus & differentia sumuntur ex partibus rei, alioqui illi conceptus essent fictitij, & inanes, vtpote

Thom.

utpote quibus nihil in re extra responde-
ret, at Deus cum sit simplicissimus nullas
partes reales continet, sequitur igitur ut
compositio rationis in Deū minime cadat.

Egidius. Egidius, 1. d. 8. q. 3.

Præterea, compositum ex genere, & diffe-
rentia est determinata perfectionis & na-
tura: at Deus est omnis perfectio eminēter,
cum sit limitata, & infinitæ naturæ, atq; ef-
fentie, nullo igitur modo Deus est cōpositus
ex genere, & differentia. Maior ostenditur.
Potentia cōtrahitur per actū ad certam per-
fectionem, & naturam, sed in compositione
Logica genus se habet ut quiddā potētia-
& determinabile, differentia vero ut actus
quiddā, & determinans, igitur compositum
ex genere & differentia est determinata per-
fectionis, & naturæ. Egid. vbi supra.

scotus. Scotus, 1. d. 8. q. 3. sic argumentatur. Logi-
ca compositio resultat ex duabus realitati-
bus distinctis, quarum vna est in potentia
ad alteram tanquam ad completionem,
& perfectionem, At, ut docuimus, Deus est
expers omnis huiusmodi cōpositionis, igitur
Deitatis simplicissima natura admit-
tere Logicam compositionem nullo modo
potest. Maior ex eo ostēditur, quia nihil idē
est principium convenientiæ aliquorū in-
ter se, & differentia, at realitas ex qua su-
mitur genus, est principium convenientiæ,
in genere siquidem omnes species ceu in
capite conveniunt, realitas vero ex qua su-
mitur differentia, est principium seiunctio-
nis vnius speciei ab altera specie, genus igitur,
& differentia non dicunt eandem rea-
litatem.

Accedit, quia si eandem realitatem im-
portarent genus, & differentia, genus solum
in definitione positum complete definirēt,
ita vel redundaret differentia, vel certē nu-
gatio committeretur.

Postremo, si Deus esset in genere, aut tan-
quam vniuersale esset in genere, aut tan-
quam particulare, Nam omnis quæ sub ge-
nere continetur substantia, aut vniuersalis
est, aut particularis, At Deus non est vni-
uersale, tum quia vniuersale de multis sub

eadē natura contentis est prædicabile, sic
autem nō prædicatur Deus, non enim sunt
multi Dij, tum quia vniuersale descendit in
sua inferiora secundū aliud, & aliud esse, at
non sic diuinitatis natura cōmunicatur cum
tribus personis diuinis, sed secundum vnū
& idem omnino esse, Neq; est indiuiduum,
nam indiuiduum cōmunem habet essentiā
cū multis, non continetur igitur Deus sub
genere, ac proinde nullam admittit Logi-
cam compositionem. Hinc iam intelligitur
in Deo summā simplicitatē reperiri, utpote
in quo nulla omnino reperiatur cōpositio.

REFUTATIO CONCLUS.

Sunt tamen qui putent cum diuina sum-
ma simplicitate posse stare Logicā com-
positionem, eamq; Deo attribuunt. In hac
opinionē est Greg. 1. d. 8. q. 3. Id vero his ar-
gumentis adductis affirmat. Principio sic
argumentatur. Si Deo repugnaret Logica
compositio, eo esset, quia quæ ex genere, &
differentia componuntur, constant etiam
ex actu, & potentia, & ex esse & essentia,
in vtraque siquidem compositione Logica
compositio fundatur, at neutra cōpositio
necessariō prærequiritur, non repugnat igitur
naturæ diuinæ summæ simplicitati Lo-
gica cōpositio. Minor probatur quoad prio-
rem compositionē quæ est ex actu, & potē-
tia. Nam simplices qualitates, ut albedo, ni-
gredo, etc. participes sunt Logicæ composi-
tionis, & tamen sunt expertes cōpositionis
eius quæ constat ex actu, & potētia, id quod
ostenditur in hunc modū. Si qualitates sim-
plices componuntur ex duobus quorum
vnum est potentiale, & alterum actuale,
aut cuiuslibet formæ est proprium poten-
tiale, aut vnum & idem est diuersarum for-
marū, si prius illud datur: sequitur ut nul-
la sit omnino inter huiusmodi qualitates
transmutatio. Nam ut Aristotel. author
est primo physicorum, idem est subiectum
commune manens sub vtroque transmu-
tationis termino, at subiectum actuali-
tatis formæ, quæ abijcitur, non est po-
tentiale actualitatis formæ quæ inducitur,

L 3 igitur

Gregori⁹

1. Argu⁹

igitur non potest esse subiectum immedia-
tum illius transmutationis. Sin vero datur
illud posterius, illud est consequens ut eadē
sit potētia propinqua contrariarū formarū,
nempe illud potentiale cōmune, ac subinde
cōsequitur, ut in quodcunq; inducitur vna
cōtrariarū formarū, possit induci & reliqua
utpote quia adest proximū susceptivū illius
actualitatis, nempe cōmune illud potētiale,
& ita eveniret ut ignis posset frigefacere.

Neque etiam ad compositionem Logicā
necessariō praequiritur cōpositio quae cō-
stat ex esse & essentia, partim quia in nulla
re distinguitur esse ab essentia, partim quia
si distingueretur, aut efficeret cōpositio-
nem essentialē cum essentia, aut accidē-
tariam, non essentialē, siquidem esse non
includitur in conceptu quiditatiuo essen-
tia, alioqui non possemus intelligere ro-
sam non esse, non accidentariam, nam ac-
cidens prae-supponit subiectum existere, &
in actu ultimo, ac completo: ita esse prae-
supponeret subiectū existere sine existētia.

2. Argu. Præterea, De Deo aliquid prædicatur tan-
quam genus, nempe substantia incorporea,
dicitur enim de Deo in ea quaestione qua
quaritur quid est, etenim spiritus est Deus,
Ioan. 4. Dicitur etiam de re altera specie di-
stincta, nempe de Angelo, sequitur etiam
ut Deus sit sub genere.

3. Argu. Postremo, Deus ponitur in categoria sub-
stantia, igitur Deus sub genere continetur, &
per consequens admittit Logicā cōpositio-
nem. Antecedēti fidē facit Arist. autoritas
12. Metaph. quo loco investigatur summā
illam ac principem substantiam, quae Deus
est, dividit ens in substantiā, ac cetera præ-
dicamenta. Rursus substantiarum duo ge-
nera constituit, sensibile vnum, insensibile alte-
rū, hoc est, solo intellectu perceptibile. Po-
steriore genere multas substantias conti-
neri dicit, quarū vna ceteris omnibus an-
tecellit, & ad quam omnia referuntur. Ita de
sententia Aristotelis, princeps illa substan-
tia quae Deus est sub prædicamentali sub-
stantia continetur.

DILUTIO ARGUMENT.

PRimum argumentum diluitur negatio-
ne minoris propositionis. Quod vero ad
probationem attinet, negatur omnino for-
mas accidentarias esse simplices qualitates,
expertes cōpositionis eius, quae cōstat ex actu,
& potentia. Id vero sic ostenditur. Motu per
se vnus terminatur ad formam per se vnā,
sed calefactio est motus per se vnus, termi-
natur igitur ad formā per se vnā. Illa igitur
forma per se vnā, aut est forma simplex,
aut composita, non simplex, siquidem for-
ma simplex fit per accidens sept. Metaphy.
est igitur composita, aut igitur composita
ex substantia & accidenti, ut album, aut ex
proprio actu, & propria potentia, non prio-
ri modo, nam huiusmodi compositum non
est per se vnum, sed per accidens, est igitur
illa forma per se vnā composita cōposi-
tione actus cum propria potentia. Estque
multarum specierū idem potentiale proxi-
mum, idem inquam secundum rationem,
non autem secundū rem. Nam genus quod
in huiusmodi cōpositione se habet ut po-
tentiale est commune cum multis formis
communitate rationis.

Notandum, quod cū dicitur specie con-
stare ex actu, & potentia, sermonē esse de
potētia Metaphysica, & actu Metaphysico,
non tñ de potentia physica, & actu physico.
Interest autem inter hæc plurimum. Nam
potentiale physicū, & actus illud perficiens
rei ipsa distinguuntur, sunt enim duæ realita-
tes distinctæ, materia scilicet & forma. Po-
tentia vero Metaphysica, & actus Metaphy-
sicus sunt vna realitas fundans conceptum
generis, & differētiæ, ex quo fit, sint vnū quid-
dam re, multa vero formaliter, & cōceptibi-
liter. Argumēta igitur Gregorij id quod est
propositum efficiunt per relationem ad po-
tentiam physicam, & actum physicum.

Ad secundum, negatur substantiam in-
corpoream dici de Deo, & alijs tanquam
genus de formis sibi subiectis. Nam genus
dicitur vniuocē de speciebus sibi subiectis: ni-
hil autem commune vniuocum est Deo, &
creaturæ. Nam finitum, & infinitum non
possunt communem habere rationem.

Ad

Ad 3. Deus per
appropriationem est
in prædica-
mento
substantia
Est aut in
omnibus
prædica-
mentis tā-
quam pri-
cipiū, nō
quidē for-
male & in-
ternū, sed
effectiū,
& extrin-
secum.
Gregorij
defensio.

Ad tertium respondetur, referri Deum
ad categoriam substantia, non quidē pro-
prie, sed per quandam appropriationem.
Est siquidem Deus ens, quod est substantia.
Est tamen Deus in omnibus prædicamen-
tis tanquā principium eorum omnium, quae
ad categoriam referuntur non quidem for-
male & internū, sed effectiū & extrinsecū.
Si velis Gregorij opinionem defendere,
adversariae opinionis argumenta sic dilui-
to. Ad primum, negatur maior. Non enim
quidquid genere cōtinetur, constat ex actu,
& potentia. Ad probationem vero dicitur,
non esse necessarium ut genus sumatur ex
potentia, differētia vero ex actuali. Adde,
quia de sententia D. Thomae, vnica est tan-
tum forma substantialis in composito, ex
quo fit ut per eandem formam homo sit
intellectiuus, & sensitiuus.

Ad 2. Ad secundū negatur, partes rationis su-
mi ex partibus rei, non tamen inde iam cō-
sequitur conceptū generis, & differētia esse
fictitium, siquidem illi conceptui aliquid
respondet in re, nempe ipsa rei essentia,
quae vnā & eadem existens fundat conce-
ptum generis, & conceptum differētiæ,
ob id scilicet, quia illa realitas non est ad-
equata tum genus, tum differētia. Etenim
in aliquo reperitur animal in quo eodem
non reperitur rationalitas.

Ad 3. Ad tertium, negatur maior. Ad probatio-
nem vero dicitur non esse necessarium ut
in Logica cōpositione genus sumatur ex
potentia, & differētia ex actuali, siquidē
in eo quod ponitur sub genere non necessa-
riō requiritur cōpositio ex actu, & poten-
tia, ac proinde non necessariō est finitū se-
cundū perfectionem, nempe cū non neces-
sariō habeat actum receptum in potentia.

Ad 4. Ad quartum, negatur maior. Nam si ge-
nus, & differētia sumerētur ex duabus rea-
litatibus distinctis, genus de specie minimē
diceretur in recto, siquidē nulla pars siue in-
tegralis, siue essentialis de toto dicitur in re-
cto, sed in obliquo. Ad probationē vero ma-
ioris dicitur, eodē adaequate & convertibili-
ter non posse aliqua inter se cum cōuenire,

tum differre, iam autem genus & differētia
nō sunt idem adaequate, & convertibiliter.

Ad confirmationem vero respondetur,
negando consequentiā. Nam quamuis ge-
nus dicat vniuocē essentia rei, quae defini-
tione cōtinetur non tñ explicite, sed inuolu-
te, iam vero in definitione illud necessariō
requiritur, ut explicetur omnia essentialia
principia rei, quae definitur.

Notandum est hoc loco, quod et si genus
& differētia sumantur ex eadē realitate, nō
tamen ex eodē gradu essendi, diuersi enim
gradus essendi fundantur in eadē forma, ceu
sensitiuū, & intellectiū in anima rationali,
animal autem quod est genus hominis su-
mitur ex sensitiuo, rationale vero quod est
differētia sumitur ex intellectiū.

Ad vltimum argumentum, quod est di-
ui Anselmi in Monol. cap. 27. respondetur,
Deum esse substantiam indiuiduā, & singu-
larem. Ad improbationē vero dicitur nihil
esse incommodie esse aliquid cōmune prædica-
bile de Deo, & creatura essentialiter, & in-
quid, illud autē est substantia incorporea.
Quod ipsum commune vnico conceptu de
Deo, & creatura prædicatur, estq; prius ipso
Deo, nō quidē prioritate aliqua reali, sed eo
genere prioris, a quo non conuertitur con-
sequētia: quomodo animal se habet ad hūc
hominē. Rectē enim sequitur, hæc substan-
tia est Deus: igitur est substantia incorporea,
non contra sequitur, hoc est substantia in-
corporea: igitur est Deus. Ita cum summa
diuinæ naturæ simplicitate non pugnat
Deum genere contineri. Hæc Gregorius, 1.
d. 8. q. 3. art. 2. Prior tamen opinio cum ve-
rior est, tum probabilior.

DISTINCTIO
NONA.

Resolutio distinctionis nonæ. D

Distinctione nona tractantur a Ma-
gistro duo capita, prius caput est de
coeternitate filij ad patrem. Posterius
caput est, quibus verbis sit explicanda

L 4 diuina

Ad 3.
Deus per
appropriationem est
in prædicamento
substantiæ
Est autem in
omnibus prædicamen-
tis tamquam prin-
cipium, non
quidem for-
male & in-
ternum, sed
effectivum,
& extrin-
secum.
Gregorij
defensio.

Ad 1.

Ad tertium respondetur, referri Deum ad categoriam substantiæ, non quidem proprie, sed per quandam appropriationem. Est siquidem Deus ens, quod est substantia. Est tamen Deus in omnibus prædicamentis tanquam principium eorum omnium, quæ ad categoriam referuntur non quidem formale & internum, sed effectivum & extrinsecum. Si velis Gregorij opinionem defendere, aduersariæ opinionis argumenta sic diluito. Ad primum, negatur maior. Non enim quidquid genere continetur, constat ex actu, & potentia. Ad probationem vero dicitur, non esse necessarium ut genus sumatur ex potentiali, differentiæ vero ex actuali. Adde, quia de sententia D. Thomæ, unica est tantum forma substantialis in composito, ex quo fit ut per eandem formam homo sit intellectivus, & sensitivus.

Ad 2.

Ad secundum negatur, partes rationis summi ex partibus rei, non tamen inde iam consequitur conceptum generis, & differentiæ esse fictitium, siquidem illi conceptui aliquid respondet in re, nempe ipsa rei essentia, quæ vna & eadem existens fundat conceptum generis, & conceptum differentiæ, ob id scilicet, quia illa realitas non est adequate tum genus, tum differentiæ. Etenim in aliquo reperitur animal in quo eodem non reperitur rationalitas.

Ad 3.

Ad tertium, negatur maior. Ad probationem vero dicitur non esse necessarium ut in Logica compositione genus sumatur ex potentiali, & differentiæ ex actuali, siquidem in eo quod ponitur sub genere non necessario requiritur compositio ex actu, & potentia, ac proinde non necessario est finitum secundum perfectionem, nempe cum non necessario habeat actum receptum in potentia.

Ad 4.

Ad quartum, negatur maior. Nam si genus, & differentiæ sumerentur ex duabus realitatibus distinctis, genus de specie minime diceretur in recto, siquidem nulla pars siue integralis, siue essentialis de toto dicitur in recto, sed in obliquo. Ad probationem vero maioris dicitur, eodem adæquate & convertibiliter non posse aliqua inter se cum convenire,

tum differre, iam autem genus & differentiæ non sunt idem adæquate, & convertibiliter.

Ad confirmationem vero respondetur, negando consequentiã. Nam quamvis genus dicat uniuersam essentiã rei, quæ definitione continetur non tamen explicite, sed inuolunte, iam vero in definitione illud necessario requiritur, ut explicetur omnia essentialia principia rei, quæ definitur.

Notandum est hoc loco, quod etsi genus & differentiæ sumantur ex eadem realitate, non tamen ex eodem gradu essendi, diuersi enim gradus essendi fundantur in eadem forma, ceu sensitivum, & intellectivum in anima rationali, animal autem quod est genus hominis sumitur ex sensitivo, rationale vero quod est differentiæ sumitur ex intellectivo.

Ad vltimum argumentum, quod est di-
ui Anselmi in Monol. cap. 27. respondetur, Deum esse substantiam indiuiduã, & singularem. Ad improbationem vero dicitur nihil esse incommodi esse aliquod commune prædicabile de Deo, & creatura essentialiter, & inquit, illud autem est substantia incorporea. Quod ipsum commune unico conceptu de Deo, & creatura prædicatur, estque prius ipso Deo, non quidem prioritate aliqua reali, sed eo genere prioris, à quo non conuertitur consequentiã: quomodo animal se habet ad hunc hominem. Recte enim sequitur, hæc substantia est Deus: igitur est substantia incorporea, non contra sequitur, hoc est substantia incorporea: igitur est Deus. Ita cum summa diuinæ naturæ simplicitate non pugnat Deum genere contineri. Hæc Gregorius, 1. d. 8. q. 3. art. 2. Prior tamen opinio cum verior est, tum probabilior.

Ad 5.

DISTINCTIO NONA.

¶ Resolutio distinctionis nonæ. ¶

Distinctione nona tractantur à Magistro duo capita, prius caput est de coeternitate filij ad patrem. Posterius caput est, quibus verbis sit explicanda

L 4 diuina

diuina generatio, an uerbo presentis temporis, an potius praeteriti.

Quoad primum, ponitur haec conclusio. Filius est patri coaeternus. Probat Magist. conclusionem tribus rationibus de sumptis ex doctrina Augustini, et Ambrosij.

Obijcit tamen haereticus. Omne quod natum est, non semper fuit, ad hoc enim natum est ut esset, at filius natus, et generatus est, igitur non semper erat. Erat igitur tempus, quando non erat filius: ac proinde filius non est coaeternus patri. Respondet Hilarius 12. de Trinitate, negando maiorem. Fallit enim maior propositio in eo quod nascitur ex eo quod semper est. Cum autem semper pater fuerit, sequitur necessario ut filius semper fuerit. Nunquam enim pater est sine filio.

Quod uero ad posterius caput attinet, ponitur 2. conclusio. Filius semper natus est secundum Gregorium, et semper nascitur secundum Originem, ita ut per primum generationis aeternitas, et perfectio, per secundum uero generationis aeternitas exprimat. Etenim cum dicitur, semper natus, semper ad aeternitatem: natus uero ad perfectionem pertinet. Cum uero dicitur, semper nascitur, significatur quod filius procedit a patre sicut splendor, iuxta illud Pauli ad Hebr. eos. 1. Qui cum sit splendor gloriae. etc. Splendor autem semper procedit, et diffunditur ex lumine.

Tertia conclusio. Filius ante tempora natus est, neque ante fuit quam natus, neque ante natus quam fuit, sed semper fuit, et semper natus. Omnia parent in litera.

✠ QVÆSTIO. I. ✠

Utrum pater sit alius à filio?



DISTINCTIO NONA tria potissimum capita complectitur, quorum primo agitur de personarum distinctione, circa quod caput, illud quæri consuevit utrum pater sit alius à filio?

Quæstio explicatur quatuor assertionibus, quarum prima est huiusmodi. Nomen siue unitatem, siue multitudinem declarans, secundum se, & solitariè sumptum nullo modo debet diuinis rebus attribui, sed cum adiunctione, in diuinis namque cernitur unitas essentiae cum multitudine personarum, est igitur in diuinis ijs nominibus utendum, quibus neque personarum multitudo tollatur, neque distinctio essentiae introducatur, nominibus igitur quibus aut unitas, aut multitudo, siue distinctio declaratur, non est simpliciter utendum in diuinis, sed cum adiunctione, & determinatione. Non enim rectè dicitur, in diuinis est unus, in diuinis sunt multi, nisi quippiam adiungas, ut scilicet dicatur, in diuinis est unus Deus, in diuinis sunt multae personae.

Secunda conclusio. Nomine unius, ac plurium licet uti in diuinis, adiunctis substantiuis, quibus illa conueniunt, ut scilicet dicatur unus Deus, multae personae. Probatio. Unum & multa aequè in essentiam, aequè in personam referri possunt, igitur nomine unius, ac plurium uti licet in diuinis, dummodo adiciantur substantiua, quibus illa conueniunt, ut scilicet dicatur, unus Deus, una essentia, multae personae, multa supposita.

Tertia conclusio. Nomine, alius, non est utendum in diuinis, nisi adiungatur persona, aut aliquid personale. Namque hoc nomine significatur distinctio, ac diuersitas, atque in diuinis distinctio, & diuersitas in solis personis reperitur, igitur nomine, alius, non est utendum in diuinis, nisi adiungatur persona, aut aliquid ad personam pertinens, ut scilicet dicatur, pater est alia persona à filio,

filio, pater est alius personaliter à filio, pater est aliud suppositum à filio.

4. cōclus. **Quarta conclusio.** Hæc locutio, pater est alius à filio, minus propria est, est tamen tolerabilior ea, quæ dicit, pater est aliud à filio. Prior pars conclusionis ostenditur. Nomine alius, non est utendum in diuinis, nisi persona, aut personale aliquid adiungatur, at in hac locutione, pater est alius à filio, nihil huiusmodi adiungitur: sed alius absolutè, & solitariè sumitur, igitur illa locutio, nempe, pater est alius à filio, minus est propria, & ad diuina accommodata. Posterior pars hinc intelligitur, quoniam vel proprietate dictionis, vel usu, & consuetudine loquentium, aliud, neutro genere acceptum ad significandam essentiali diuersitatem accommodatur, non est igitur ferèda, aut vlllo modo recipienda illa locutio, nempe pater est aliud à filio.

**REFUTATIO POSTRE-
mæ conclusiones.**

Durādus **D**Vrandus, 1. 5. d. 9. q. 1. vtramque illam propositionem recipiendam existimat, siquidem vtraq; propositione significatur, patrem distinguere à filio, neq; magis, aliud, ad essentialiam, quam ad personam, neque itidem magis, alius, ad personam, quam ad essentialiam debet accommodari, vi, & proprietate dictionis. Id vero in hunc modum ostenditur. Diuersus modus significandi non mutat significatum nominis, at diuersitas generis pertinet ad diuersum modum significandi, non mutat igitur significatum nominis, idem est ergo quod distribuis, nempe, alius, alia, aliud, significatur, nempe alietas, siue diuersitas. At alietas, & diuersitas æque ad essentialiam, atq; ad personam referri pōt, igitur non magis aliud ad essentialiam, quam ad personam accommodari pōt, neq; itidem magis alius & alia ad personam, quàm ad essentialiam referri possunt, ac proinde, quemadmodum illa cōceditur, pater est alius à filio: ita hæc venit concedenda, pater est aliud à filio. Usus tñ loquentium obtinuit, vt aliud ad significandam essentiali diuersitatem accommodaretur.

Usus porrò huius, authore D. Thoma, 1. p. q. 3. art. 2. hæc est causa, quoniam genus neutrum cum informe sit quiddam, certam ac distinctam sexus proprietatem minimè declarat, cumq; essentialia, commune quiddam sit, atque indistinctum: sequitur vt aliud, ad significandam essentiali diuersitatem merito accommodetur. Alius vero & alia masculine sumpta ad significandam in persona diuersitatem accommodata sunt, quoniam masculinum, & fœmineum genus certam & distinctam sexus proprietatem significant: iam autem persona res est quædam proprietate distincta, atque discreta. Hac igitur de causa effectum est vt alietas his tribus, nempe alius, alia, aliud, significata ad diuersa usu loquentium fuerit accommodata.

Sunt tamen qui putent, non usu loquentium modo, verum etiam vi & proprietate dictionis, aliud neutro genere, & substantiuè sumptum significare essentiali diuersitatem, vt docuit D. Thom. 1. 5. d. 9. q. 1. Adducitur autè D. Thomas hac ratione. Aliud neutro genere, & substantiuè sumptum alietatem simpliciter significat, sed alietas simpliciter est alietas essentiali: igitur aliud neutro genere, & substantiuè sumptum, etiam ex vi nominis, diuersitatem essentiali significat. Maior patet ex discrimine inter substantiuum nomen & adiectiuum. Namque substantiuum nomen suum significatum absolutè, & independenter significat, adiectiuum vero dependenter, suum enim significatum apponit substantiuo, ex quo iam efficitur vt aliud substantiuè, & neutro genere sumptum alietatem simpliciter, & absolutè significet, alius vero & alia dependenter, hoc est, apponendo alietatem ipsi substantiuo, vnde pro qualitate ipsius substantiuo reddunt locutionem aut veram, aut falsam. Nam si apponantur essentiali, locutio falsa est, sin vero personæ, vera, ita horum sententia, hæc propositio, pater est aliud à filio, omnino falsa est, & intolerabilis, non solum propter accommodationem, verum etiam propter proprietatem.

Quam ob causam aliud ad significandam diuersitatem in essentiali, alius vero & alia ad significandam diuersitatem in persona sint usu loquentium accommodata.

Thomas.

Non solum usu loquentium, verum etiam proprietate dictionis, aliud neutro genere, & substantiuè sumptum significat diuersitatem essentiali.

DILVTIO ARGVMENTORVM.

NOBIS placet hæc opinio. Fundamentū porro aduersariæ opinionis sic diluitur vt dicatur, quod & si diuersitas generis, & diuersaratio significandi non mutant significatū nominis in genere, mutant tamen in specie. Hæc igitur tria, alius, alia, aliud, diuersitatem illa quidem absolute significant, non tū eodem modo, vti exposuimus.

Est hoc loco magnopere annotandum, esse in diuinis rebus explicandis quibusdam nominibus abstinendum, non quia reddat locutionē falsam, aut minus aptam, sed ne hæreticorū erroribus patrocinari, aut suffragari videamur, in quib⁹ sunt singulare, vnicum, diuisum, separatum. Ac singularitatis, & vnici nomen esse abstinendū docet D. Hilarius. 7. de Trinitate sic inquit, à Deo excluditur singularitas, & vnici intelligentia. Huius rei hæc est causa, quoniam etsi diuina essentia sit maxime singularis, quia tamen singularitatis nomen quādam vi sua incommunicabilitatem significat, diuina autem natura singularissima est cum multis cōmunicabilis, idcirco hoc nomen non est diuinæ essentia accōmodandum, ne cōmunicabilitas ipsa tolli videatur, quā eandem sustulit Sabelius. Is enim patrem, filium, & spiritum sanctū, non multas personas esse dixit, sed vnam tantum diuersis nominibus propter diuersas functiones appellatam. Ob eandem causam vnici nomen vitandum est. Nam etsi Deus sit maxime vnus, quia tamen vnici nomen confortem videtur excludere, Deus autem est trinus personaliter, proinde vnici nomen non videtur Deo accōmodandum, ne videamur cum Sabelio tollere numerū personarum.

Diuisionis etiam, & separationis nomina vitanda sunt, ne cum Arrio tollere videamur essentia in tribus personis maximam vnitatem. Arrius siquidem non hypostasis modo proprietatibus, verum etiam natura, & essentia diuinas inter se personas distinxit, & discreuit. Quocirca quamuis

filius sit alius & distinctus à patre, minus tamen castè, & aptè dicitur diuisus, aut separatus à patre, siquidem his nominibus vtentes Arrianæ hæresi applaudere videamur.

Hinc iam intelligitur in diuinis rebus explicandis castis, & ad rem de qua agitur, accōmodatis nominibus esse vtendum, quia eloquia domini, eloquia casta, & Hieronymus author est, verbis inordinate prolatis in hæsesim incurri.

✠ QVÆSTIO. 2. ✠

Verum filius sit sempiterno patri coæternus?



SECUNDA NONA distinctionis parte agitur de coæternitate filij ad patrem. Pro cuius rei explicatione, hæc prima statuitur conclusio. Pater diuinum filium tempore minimè antecedit. Probatio. Pater ab æternitate potuit gignere filium, alioqui pater ab æternitate non fuisset omnipotens: igitur ab æternitate genuit filiū: est igitur filius patri Deo coæternus. Consecutio hinc intelligitur, quoniā in diuinis ad intra non differūt esse, & posse, sed quidquid ibi est possibile est actu. Augustinus sexto de Trin. cap. 1. eidem conclusioni sic fidem facit. Filius Dei est virtus Dei, & sapientia Dei, vt testatur D. Paulus. 1. Corinth. 1. At sine sapientia & virtute Deus nunquam fuit: sine filio igitur pater nunquam fuit: est igitur filius eidem coæternus. Nam si pater fuit quando non fuit filius, aliquādo Deus non habuit virtutem & sapientiam, quod demeritis est dicere. Sempiterno igitur patri sempiternus affuit filius.

Secunda conclusio. Pater sempiternus sempiternum ^{filium} natura minimè antecedit. Namque priora illa dicuntur natura quæ esse possunt, cum interim alia nō sint, hæc tamen ipsa si alia non sint, esse nequeūt. Sic animal affectum est ad hominē.

At

In diuinis est quibusdam nominibus abstinendum.

Hilarius.

Error Sabelij.

Error Arrij.

Psal. 18.

Hieronymus.

1. conclusio.

Pater non antecedit tempore filium.

2. conclusio. Non antecedit natura.

3. conclusio. Non antecedit diuinitate.

4. conclusio. Non prior coæternitate.

5. conclusio. Non prior intellectu.

6. conclusio. Non prior origine.

Handwritten notes in the right margin.

7. conclusio. Non est prior alio quo modo.

at pater & filius non sic inter se sunt affecti, ut qui sint relata, relata vero recipiantur secundum essendi consequentiam, igitur, etc.

3. conclus.
Non antecedit ordine.

Tertia conclusio. Pater non est prior ordine ipso filio. Namque hoc genere priora illa dicuntur quae alijs praeponuntur, ut elementa syllabis, principia conclusionibus, atqui pater non praeponitur filio, sed simul ponitur cum filio, haec est enim relatorum natura ut vnum coexigat alterum, & non praexigatur alteri, igitur, etc.

4. conclus.
Non est prior causalitate.

Quarta conclusio. Pater non est prior causa filio. Nam causae & causati nomina ex rebus diuinis sunt exclusa propter summam in eadem essentia consensionem.

5. conclus.
Non est prior intellectu.

Quinta conclusio. Pater neque ratione, neque intellectu est prior filio: id vero ex eo patet quia relata sunt simul ratione & intellectu, pater autem & filius sunt relata.

6. conclus.
Non est prior origine.

Sexta conclusio. Pater non est prior origine ipso filio, contra quod visum est Scotto, 1.5.d.9.q.1. & 2.5.d.1.q.1. Prob. Illo signo originis, quo pater filium antecedit, est ne filius, aut non est filius: si est, eodem igitur signo filius cum patre est, ac proinde pater origine filium non antecedit. Si non est eodem signo, sed alio posteriori: sequitur ut pro aliquo signo siue originis, siue naturae filius non fuerit, ac proinde de non esse transierit ad esse. Non est igitur filius summe necesse esse, utpote cui non repugnet pro aliquo signo non esse.

Ubi dicitur in eodem loco

Præterea, illo signo originis, quo pater filium antecedit, est ne pater, an non, si est, eodem igitur signo filius est, quandoquidem relata sunt simul. Si non est pater, estne persona, an non, si est persona: igitur pro aliquo signo est persona in diuinis, quae neque est pater, neque filius, neque spiritus sanctus. Si non est persona, pro aliquo igitur signo non est Trinitas personarum, quod est impium, aut dicere, aut sentire.

7. conclus.
Non est prior aliquo modo.

Septima conclusio. Pater nullo modo est prior filio. Nam si filium modo aliquo antecederet, aut per essentiam, aut per paternitatem, aut per essentiam sub paterni-

tate antecederet, non per essentiam ut quæ sit vna numero in utroque, neque per paternitatem, ut quæ ad filium referatur, neque per essentiam sub paternitate: nam essentia sub paternitate idem est quod pater, at pater simul est cum filio cum existentia, tum intellectu, igitur, etc.

REFUTATIO CONCLUS.

PRima conclusio his argumentis refellitur. 1. Argu. Filius habet principium sui esse, est enim ab alio, nempe à patre: igitur habet initium suae durationis. Consecutio probatur, quoniam in diuinis esse, & duratio sunt vnum, & idem, at quod habet initium suae durationis non est æternum, cum esse inceperit, non est igitur patri filius coæternus.

Præterea, quemadmodum se habet corruptum esse ad non esse, ita se habet genitum esse ad esse, at quod corruptum est definit esse: igitur quod generatum est incipit esse, at à patre est filius generatus, igitur filius incepit esse, at quod incipit esse nunc est, & immediatè ante hoc non fuit, Dei igitur filius cum patre non semper fuit.

Arriani ita argumentatur, authore Augustino sexto de Trinit. libro cap. 1. Si filius est, natus est, si natus est, erat quando non erat filius, omnesiquidem quod natum est, non semper fuit, in hoc siquidem natum est, ut esset.

Tertia conclusio hoc argumento improbat. In quibus datur primum, secundum, & tertium, in ijs datur prius & posterius secundum ordinem, at in diuinis dicimus patrem esse primam personam, ut qui sit principium & fons totius diuinitatis, Filium autem dicimus esse secundam personam, ut qui immediatè ex patre quasi splendor ex luce procedat, spiritum vero sanctum tertiam personam profiteamur, quasi ab utroque procedentem, datur igitur in diuinis prius, & posterius secundum ordinem. Maior hinc intelligitur, quoniam secundum est primo propinquius, quam tertium, ac proinde prius est tertio.

Quarta conclusio refellitur in hunc modum. 4. Argu. Pater

1. Argu.

2. Argu.

3. Argu.

4. Argu.

Handwritten notes in brown ink, including 'Dei igitur filius cum patre non semper fuit' and other illegible scribbles.

Pater est principium filij, igitur est causa filij, ac proinde prior causalitate ipso filio. Confirmatur autoritate Damasceni, i. de fide orthodoxa libro, dicentis patrem esse causam filij, & patrem ac filium secerni causa, & causati differentijs.

5. Argu.

Quinta conclusio refutatur in hunc modum. Pater pra'intelligitur filio, igitur in diuinis pater est prior ratione, & intellectu ipso filio. Consecutio firma est, antecedens ostenditur. Generans prius esse intelligitur quam generet siquidem operatio a persona iam constituta procedit: pater igitur pra'intelligitur generationi ipsius filij, at generatio omnino pra'intelligitur filio, siquidem actio antecedit terminum, pater igitur pra'intelligitur filio, nam quod est prius priori, est etiam prius posteriore.

6. Argu.

Sexta conclusio doctissimo Scoto non placet, ut qui existimet patrem priorē naturā, & origine esse filio, i. 5. d. 9. q. 1. Item, 2. d. 1. q. 1. Existimat enim Scotus in diuinis duplicem ordinem reperiri, naturae scilicet, & originis. Ac primo instanti naturae omnia tam essentialia, quam notionalia spectantur, idque praecise, haec est, sine habitudine ad ea quae sunt extra. Secundo vero instanti naturae Deus ea iam respicit, quae sunt extra: sic, quidem ut Deus primum suam essentiam intueatur, deinde vero ea, quae in ipsius essentia relucet, cuiusmodi sunt res creabiles. Ac hoc esse rerum intellectum appellat Scotus esse diminutum earundem rerum, & hanc rerum intellectionem nominat earundem rerum in esse diminuto productionem.

Porro vnum instans naturae multa complectitur instantia originis. Ex quo efficitur, ut in primo illo instanti naturae ordo quidam intercedat inter diuinas personas, cuius quidem ordinis primo signo est diuina persona perfecta, hoc est, habens omnem realitatem tam absolutam quam respectiuam, citra omnem habitudinem ad extra: habetque perfectam fecunditatem, hoc est, vim ad producendum, qua possit filium, & spiritum sanctum producere. In secundo vero ligno patri conuenit actio prioris fecunditatis,

communicat enim diuinam essentiam filio, quem generat: qua eadem essentiae communicatione, comunicat etiam filio vim spirandi, hoc est, productiuam spiritus sancti.

Tertio vero ligno originis conuenit vtrique, hoc est, patri & filio actio posterioris fecunditatis, nempe quia simul spirent, & comproducant spiritum sanctum. Ita fit ut pater sit prior origine filio, & prius origine possit gignere, quam gignat, & pater & filius sint priores origine spiritu sancto, & prius origine possint spirare spiritum sanctum, quam spirent.

Huic Scoti sententiae suffragatur autoritas Augustini in libro de triplici habitaculo, quo loco ita ait, cum sancti fuerint in patria, videbunt quid interest inter generationem, & processione, & videbunt quod pater antecedit filium non natura, sed origine. Confirmatur haec sententia haec etiam ratione, quia ubi est aliquis dans ortum, & originem, alius vero originem accipiens, ibi necessario datur prius, & posterius, secundum originem, at in diuinis est persona das originem, & persona accipiens originem, datur igitur in diuinis prius, & posterius secundum originem.

DILVTIO ARGUMENT.

PRimum argumentum diluitur distinctione. Etenim filius habet ille quidem principium sui esse. Caterum habere filium principium sui esse potest intelligi duobus modis, vno modo ut habeat principium a quo sit, altero modo ut illud principium sit prius eo in essendo. Priori modo concedimus filium habere principium sui esse, non tamen posteriori. Ad hunc etiam modum filius non sic habet principium durationis, quod aliquid sit prius eo duratione, sed quod habeat principium, a quo habet durationem. Et ita non sequitur conclusio.

Ad secundum responderetur in per se, ac formaliratione generationis includi acceptionem essendi, non itidem in ceptionem essendi, nisi forte ex accidenti, hoc est, quatenus in generatione includitur mutatio.

Tunc

scoti opinio.
Quae ad prioritatem originis duplex quod prioritate
Ad 2.

Ad 3.
In diuinis datur prius & posterius secundum ordinem
Ad
Causa pud Gr. coslati apud I. rinos v. ro pres. us accipitur.
Ad Durad

Tunc autem in generatione reperitur mutatio, cum subiectum prius subest priuationi formae quam formae. In diuina autem generatione nihil tale reperitur. Ac proinde in diuinis genitum accipit illud quidem esse, non tamen incipit esse. Hinc iam patet Arrianae argumentationis explicatio. Nam cum genitum in diuinis non incipiat esse, licet accipiat esse, hinc fit vt falso concludat haereticus filiū aliquando non fuisse ob id scilicet, quia fili⁹ genitus, & natus est. Id enim etsi verum sit per accidens, quando scilicet in generatione reperitur mutatio, non tamen per se, & absolute.

Arrianae argumentationis infirmitas

Ad 3.

In diuinis datur prius & posterius secundum ordinem.

Ad improbationem tertiae conclusionis respondetur, in diuinis dari prius & posterius secundum ordinem. Etenim in diuinis ordo maxime reperitur, vbi autem est ordo, ibi omnino datur prius & posterius secundum ordinem. Cum autem in symbolo Athanasij dicitur, in diuinis nihil prius, aut posterius, id verum est modis alijs, non autem hoc modo. Hac siquidem prioritas nihil diuinae, aut dignitati, aut simplicitati derogat.

Ad 4.

Causa apud Graecos latius, apud Latinos vero pressius accipitur.

Quarta conclusionis improbationi sic occurritur, vt dicatur apud Graecos nomen causae accipi pro omni quod est principium aliquid, siue illud sit essentia ab eo distinctum, siue non sit. Latini vero pressius nomen causae accipiunt. Illud enim causam solum esse dicunt ad quod sequitur aliud, hoc est, essentia distinctum. Cum ergo in diuinis omnimoda sit in essentia vnitas, hinc fit vt nomen causae ad diuina minime admittant, & solo principij nomine vtantur.

Ad 5.

Durandus

Quod vero attinet ad sextae conclusionis refutationem, Durandus, i. d. 9. q. 2. omnino negat patrem praestelligi filio. Ad probationem vero ait, illud esse verum, cum persona non constituitur in esse simpliciter, & personali sua operatione. Tum siquidem persona praestelligitur, actioni. At pater constituitur in esse personali & simpliciter suamet productione actiua. Eo enim pater est, quia generat. Cum ergo pater generando constituitur, sequitur vt suae actioni minime praestelligatur, hoc est, non prius intel-

ligatur esse quam generet.

Ceterum D. Thomas, i. p. q. 40. articulo 4. d. Thomae adhibendam putat distinctionem. Namque relatio constitutiua personae potest spectari duobus modis, vno modo vt relatio, altero modo vt forma hypostatica, & proprietas, priori modo consequitur generationem, posteriore vero antecedit: & supponitur operationi. Hac tamen distinctio refellitur à Durando loco supra citato. Quae de re tota nos vberius differemus, d. 26. huius libri, quo loco de constitutione personarum accurata suscipienda est disputatio.

Omnino autem Argentina, i. d. 9. q. 1. ar. 4. Argentina putat in diuinis dandam esse prioritatem secundum rationem, saltem in ratione producentis, & producti. Fundamentum opinionis est, quia in rebus creatis semper produciens est prius producto, igitur sic debet intelligi, & concipi in diuinis. Consecutio firma est, siquidem nos cognoscimus, & intelligimus diuina ex rebus creatis. Quamuis igitur diuinae personae quatenus relatae prioritatem nullam admittant, quatenus tamen vna se habet vt produciens, altera vero vt producta, recipiunt prioritatem.

Persona igitur diuina duobus modis praestelligitur alteri, vno modo vt constituta, sic enim intelligitur per modum absoluti, altero modo vt produciens.

Personam diuinam duobus modis praestelligitur alteri, nempe vt constituta, & vt produciens. Ad 6.

Ad sextum argumentum continens Scoti sententiam, respondemus nullam esse huiusmodi diuinarum personarum per originem antecessionem. Namque illa antecessio, siue prioritas secundum originem duobus modis intelligi potest, vno modo vt illud prius origine esse dicatur, quod est pro aliquo signo, siue instanti priori, pro quo alterum non est: quod genus prioris dicitur prius in quo. Altero modo vt illud dicatur prius origine quod neque est, neque habet ab alio, illud vero posterius quod est, & habet ab alio. Quod genus prioris dicitur prius a quo. Si priori modo accipitur prioritas originis, illud primum est consequens vt filius acciperit esse post non esse, deinde vt pro aliquo signo minime fuerit Trinitas personarum, quemad-

Prioritatis originis refutatio.

quemadmodum pro quinta cōclusionione argumentati sumus contra Scotum.

Sin vero posteriori modo accipitur prioritas originis, sequitur patrem non generare à se, sed ab alio, id quod est falsissimum. Sequela ostenditur. Quemadmodum esse in primo signo originis est esse à se, & non ab alio, sic etiã habere aliquid in primo signo originis est habere illud à se, & non ab alio: igitur quemadmodum esse in secundo signo originis est esse ab alio, & non à se, sic etiam habere aliquid in secundo signo originis est habere ab alio, & non à se. At pater, de sententia Scoti, habet actionem prioris fecunditatis in secundo signo originis, quo filium generat, habet igitur illã non à se, sed ab alio, ac proinde nõ generat à se, sed ab alio, quod est falsissimũ. Scio Scoti studiosos hoc argumentum diluere dicentes, non se habere rem eodẽ modo in productionibus, atq; in personis: persona enim quæ in secundo instanti originis produci- tur, quemadmodum est ab alio, sic etiã habet ab alio. At persona operans in secundo originis instanti, non iam operatur ab alio, sed à se, quemadmodum est à se. Quidquid igitur conuenit personæ productæ in secũdo instanti originis conuenit ei ab alio, nõ tamen quidquid conuenit personæ producenti. Pater igitur aternus licet actionem prioris fecunditatis exercent in secundo instanti originis, non tamen habet illam in illo signo siue instanti, sed præhabet in primo, illã tamen exercet in secundo, quo filium producit: ac proinde generat à se, & non ab alio. Hęc tamen solutio non tam videtur esse Scoticæ imaginationis defensio, quam argumenti quadam euasio. Nam si esse vel habere in secundo originis instanti est esse, vel habere ab alio, æque id conuenit productionibus, atq; personis, facere ergo discrimen inter productiones & personas, est gratis, & sine vlla ratione dicere.

Vnde hæc Scotica secundũ originẽ prioritas accipi potest duobus modis, vno modo vt explicetur per hæc verba, à quo alius, & qui ab alio, vt scilicet illa persona dica-

tur prior origine, à qua est altera persona, illa vero posterior, quæ est ab altera persona. Ita pater est prior origine filio, ab eo enĩ est filius, & filius est posterior origine patre, est enim ille à patre. Et pater & filius sunt priores origine spiritu sancto, est enim ab illis spiritus sanctus. etcæt. Ac hoc modo accipienda est illa Augustini sententia in libro de triplici habitaculo supra citata. Id quod patet ex eodem Augustino. 3. contra Maximum hereticum, ita dicente. Inter patrem genitorem, & filium genitum est ordo naturæ, non quo alter sit prior altero, sed quo alter est ab altero. Altero modo hæc prioritas secundũ originem sic accipi potest, vt ad ordinẽ naturalis præsuppositio- nis inter rem & rem referatur: quo ordine efficitur vt vna entitas quantum est ex parte sui præponatur alteri: ita scilicet quod si possent dari aliqua instantia mensuratiua talium entitatum, vna entitas esset in aliquo instanti priore, pro quo eodẽ non esset altera. Hoc modo essentia est prior attributis, & relatiuis proprietatibus, quemadmodum iam alibi docuimus, d. 6. q. 1.

✠ QVÆSTIO. 3. ✠

Verum sempiterna verbi Dei generatio verbo præteriti temporis, an contra presentis, sit exprimenda?



Væstio explicatur vnica cōclusionione, quæ est huiusmodi. Neque verbo presentis temporis solum, neque præteriti solum, sed per vtranq; differentiam est sempiterna verbi Dei generatio explicanda.

Huius cōclusionionis probationi nonnulla præponimus, in quibus illud est primum, in ijs quæ fiunt per motum, fieri & factũ esse, non esse simul. Nã in ijs quæ fiunt per motum, ipsorum fieri est moueri, at motus cessat acquisito termino: & tum primum res dicitur facta, cum acquisito termino motus desijt, relinquitur igitur in ijs quæ fiunt per motum, fieri & factum esse non esse simul.

Secundo

ginis qui ponit scotus.

nota le.

notab

cōclusio

notabile.

modi.

autem

quomodo

quomodo videatur accipi prioritas ori-

batu

Secundo, prapostimus in ijs quæ fiunt non per motum, sed actione momentanea, simul esse fieri, & factum esse. Nam simul ac illa actio est, completa est, at completa actione acquisitus est terminus: igitur in ijs quæ indiuidua, & momentanea actione fiunt, simul sunt fieri, & factum esse. Cæterum licet in ijs quæ fiunt actione momentanea simul sint fieri, & factum esse, non tamen pro quouis temporis instanti illæ res dicuntur fieri, sed solum pro instanti primo, quo de nouo incipiunt esse, cum prius non fuerint, tunc enim verum est dicere, rem illam fieri, & factam esse, deinde vero, hoc est, pro quolibet alio instanti consequente, rem dicimus factam esse, non fieri, ceu mundum creatum esse, non creari.

Tertio sumimus in ijs quæ fiunt actione indiuidua, eaque perpetua, non solum esse simul produci, & productum esse, verum etiam semper. Nam simul ac productio est, continuo expleta est, quia vero semper est, semper expleta est, ac proinde quod producitur actione momentanea, eaque perpetua, semper producitur, semperque productum est, semper producitur propter actionis permanentiam, semper vero productum est, propter eiusdem actionis absolutionem, expletionemque.

His ita prapostitis, iam propositæ conclusioni fidem facimus in hunc modum. In ijs quæ producuntur non per motum, sed per actionem indiuiduam, eamque constantem, atque perpetuam, semper sunt simul fieri, & factum esse, at filius producitur à patre non per motum, neque per actionem nouam, sed actione indiuidua, ac perpetua, in productione igitur filij, atque generatione semper sunt simul produci, & productum esse, generari, & genitum esse, vtraque igitur temporis differentia sempiterna illa verbi Dei generatio commode exprimi potest, vt scilicet dicatur, illud Dei verbum semper gigni, & semper genitum esse, semper nasci, & semper natum esse. Maior huius discursus iam constat ex ijs quæ initio constituta sunt. Minor vero ex eo patet, quia cum fi-

lius sit verbum ex patris intellectione procedens, & diuinus pater semper, ac sine intermissione intelligat, efficitur vt semper, ac sine intermissione verbum intelligendo proferat: ac proinde semper ac perpetuo nascatur filius. Aptius tamen dicitur semper natus, quam semper nasci, siquidem fieri, vi & proprietate dictionis quandam quasi tendentiam, & profectioem declarat ad terminum qui distat, & abest, ac proinde quædam imperfectionem, quæ in diuinis minime reperitur. Hac ratione adductus D. Gregorius, 26. Moral. cap. 1. diuinam sempiterni verbi generationem verbo præteriti temporis, non itidem præsentis, explicandam esse putauit, sic aiens: Dominus Iesus de patre ante tempora natus est, vel potius quia neque cœpit nasci, neque desijt, verius dicitur semper natus. Non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus esse videatur.

Generatio æterna aptius explicatur verbo præteriti temporis quæ præsentis.

Gregori⁹

DISTINCTIO

DECIMA.

Resolutio distinctionis decimæ.

Decima distinctione de processione agit spiritus sancti, postquam superioribus distinctionibus actum est de æterna filij Dei generatione. Ac ex doctrina Magistri tradita in hac distinctione colliguntur quatuor conclusiones.

Prima conclusio. Quamuis pater, & filius, & spiritus sanctus, atque adeo tota Trinitas essentialiter sit charitas, aptius tamen, & specialius, & appropriate spiritus sanctus dicitur charitas. Vtraque conclusio partem probat Magister cum testimonijs scripturæ, & auctoritate Augustini.

Secunda conclusio. Charitas procedens est vnio, communitio, & nexus amoroſus patris, & filij, quo vterque coniungitur.

Tertia

Tertia conclusio. Licet pater sit spiritus, & sanctus, & filius similiter, specialius tamen, & per quandam appropriationem charitas ipsa procedens dicitur spiritus sanctus. Probat Aug. sexto de Trin. cap. 5. Charitas procedens est communio patris, & filij, igitur commune est aliquid patris, & filij, ergo specialiter & proprie dicitur spiritus sanctus. Conseq. probatur, quoniam ille qui communis est ambobus, merito vocatur proprie, qd' ambo communiter.

✠ QVÆSTIO. I. ✠

Vtrum hoc nomen spiritus sanctus sit alicuius diuinae personae proprium?



Aggreditur Magister ad explicationem diuinæ & admirabilis processionis eius, qua spiritus sanctus procedit in diuinis, principio docens spiritum sanctum esse amorem & charitatem patris in filium, atq; vniionem, communionemq; quãdam vtriusque, eiusdẽ prorsus essentia, & maiestatis. Quoniam vero spiritus sanctus patris & filij cõnexio quãdam est, hinc factum esse dicit, vt charitatis nomen, alioqui patri cum filio commune spiritui sancto speciatim attribueretur. Quocirca illud adduci in quaestionem hac distinctione consuevit, vtrum hæc nomina spiritus sanctus, & amor, sint alicuius diuinæ personæ propria. Ac quod ad primum nomen attinet, præponendã putamus distinctionem. Nomen, spiritus, dicitur vel à subtilitate, siue spiritualitate, vel ab spiratione, vt videlicet idem valeat, spiritus, atque spiratus.

Ponuntur ergo duæ conclusiones: quarum hæc est prior. Nomen, spiritus, ductum à spiratione, solius est spiritus sancti proprium. Probatio. Illius personæ proprium est esse

spiritum prout spiritus ducitur à spiratione, cuius est proprium spirari: at hoc soliustertiatia in diuinis personæ proprium est, quem admodum enim filij à patre processio dicitur generatio, ita spiritus sancti ex vtroque emanatio dicitur passiva spiratio: solius igitur tertiatia in diuinis personæ proprium est dici spiritum.

Secunda cõclusio. Nomen, spiritus, quatenus spiritualitatem, siue subtilitatem quandam declarat, non est proprium spiritus sancti nomen, sed eidem cum multis alijs commune, speciatim tamen spiritui sancto propter specialem conuenientiam attribuitur. Porro esse hoc nomen cum multis alijs commune hinc intelligitur, quoniam ea corpora, quæ tenuissima sunt, ac præ tenuitate sub aspectum non cadunt, spiritus appellari consueuerunt, veluti ventus, aer, & corpuscula illa, quæ viribus animi in seruiunt, ceu spiritus animale, & vitales. Hinc effectum est, vt res omnes incorporeas spiritus appellemus, vt angelos, animam humanam, & maxime omnium, ipsum Deum, de quo Ioannis. 4. dicitur, spiritus est Deus. Est igitur hoc nomen spiritui sancto cū multis rebus alijs cõmune, attribuitur autẽ, & appropriatur speciatim spiritui sancto, tertiatia in diuinis personæ: duplici potissimum de causa, quarum prior sumitur ex ipsius nominis notatione. Nam spiritus quandam veluti impulsionem & inclinationem declarat, cumque id, quo potissimum ad agendum impellimur, sit voluntas, eiusq; potissima, quæ omnium maxime impellit, affectio sit amor, hinc effectum est, vt persona in diuinis procedens per actum voluntatis, vt amor dicatur spiritus, quasi amoris quodam impulsu productus. Posterior ratio sumitur ex modo emanationis ipsius spiritus sancti. Namque spiritus sanctus à patre & filio communiter procedit: fuit igitur rationi consentaneum, vt qui cõmuniter ex vtroque procederet, communi quoque vtriusque nomine appellaretur. Cum igitur cum pater, tum filius sit spiritus, & vterque sanctus, tertiatia persona ex vtroque procedens,

spiratio-
ne est pro-
priu no-
men spiri-
tus sancti

2. cõclus.
Nomen
spiritus
prout spi-
ritualita-
tem signi-
ficat non
est pro-
priu no-
men spiri-
tus sancti,
speciatim
tamen ei-
dem attri-
buitur.

Ioan. 4.

Quas ob-
cas
hoc nomen
spiritus,
speciatim
spiritui
sancto at-
tribuitur

1. cõclus.
Nomen
spiritus
prout du-
citur à

San-
ctian-
citu-
ciar-

Amor-
est p-
priur-
men-
tus sa-
sed ei-
appro-
atum


In di-
nis nõ
duple-
mor, e-
rialis
licet &
sonali
sed vn-
isque
sential

iure

iure optimo appellata est spiritus sanctus. Sanctus etiam ob id speciatim dicitur, quia dona quibus sanctificamur & in Deū ordinamur, tertiæ personæ in diuinis speciatim attribuuntur.

✠ QVÆSTIO. 2. ✠

Verum amor sit nomen spiritus sancti proprium?

 Væstio explicatur vnica conclusione, quæ est huiusmodi. Amor nō est proprium nomen spiritus sancti, sed eidem accommodatum, & appropriatū. Prior conclusionis pars in hunc modum ostenditur. Illud non est propriū alicuius personæ nomen, quod est eidem cum alijs commune: at nomen amoris est huiusmodi, dicitur enim 1. Ioannis. 4. Deus est charitas, quo loco Deus, iuxta sanctorum omnium interpretationē, accipitur cōmuniter pro tribus personis: relinquitur igitur nomē amoris non esse proprium spiritus sancti. Posterior vero conclusionis pars ex eo intelligitur, quoniam spiritus sanctus in diuinis procedit per modum voluntatis, & amoris, ex mutuo siquidē patris & filij amore procedit: igitur iure optimo amoris nomen obtinuit: quemadmodū si nomen notitiæ verbo accommodaretur.

Hinc iam cōsequitur, non esse duos amores in diuinis, essentialē vnum, & personalem alterum, sed est vnus omnino qui procul dubio essentialē quiddam est, tamen si amoris nomen propter penuriam vocabulorum interdum significet tertiā personam in diuinis procedentem per modū voluntatis, & amoris, ac proinde non tam proprium est, quam appropriatum, contra quod tamen sentit D. Tho. 1. p. q. 37. art. 1. Existimat enim D. Thomas, quod quemadmodum cum intellectus rem aliquam intelligit, existit in mente intelligentis quædam conceptio rei intellectæ, quæ dicitur verbū manens in ipso intelligente, sic etiam cum quis rem aliquam amat, existit in volūtate ipsius amantis quædam impressio, siue affe-

ctio rei amata, per quam amata est in amate, quæ dicitur amor procedens propter penuriam vocabulorum, quemadmodū si verbū appellarem notitiā genitam, siue intelligentiam conceptam. Vide ibi.

DISTINCTIO VNDECIMA.

Resolutio vndecimæ distinctionis.

Prima conclusio. Spiritus sanctus procedit à patre, & filio. Id probat cum testimonijs scripture, tum sanctorum patrum Græcorum testimonijs apertissimis.

Secunda conclusio. Græci errant oppositum asserentes.

Tertia conclusio. Græci & si verbo à nobis dissentiant, in eandem tamen cū Latinis, & catholicis sententiā conveniunt, dicentes spiritum sanctum esse spiritum filij.

✠ QVÆSTIO. 1. ✠

Verum spiritus sanctus procedat à filio de sententia scripturarum?



Vperiore distinctione Magister exposuit modum, ac rationem processio- nis spiritus sancti: hac iā distinctione docet quodnam sit illius processio- nis principium: ostenditq; spiritum sanctū à patre, & filio procedere, contra quod senserunt Græci: partim, quia in literis sanctis in quibus fit mentio processio- nis spiritus S. nulla omnino fit mentio ipsius filij. Vbiq; enim legitur spiritū sanctum à patre procedere, id quod de filio non legitur: partim, quia concilia apud ipsos habita hoc ipsum statuerunt, nempe spiritū sanctum à patre procedere, nulla interim facta mentione filij. Hunc ergo errorem refellit & coarguit Magister, pro quo eodem coarguendo nos etiā adducimus in quæstionē, vtrum de sententiâ scripturarū spiritus sanctus procedat à filio?

M Ponj-

sanctus etiam dicitur speciatim.

Amor nō est proprium nomen spiritus sancti sed eidem accommodatum.

In diuinis nō est duplex amor, essentialis scilicet & personalis, sed vnus, isque essentialis.

1. cōclus.
spiritus
sanct' pro
cedit à fi-
lio de sen-
tentia scri-
pturarū.

Ponimus igitur hanc conclusionē. De sen-
tentia scripturarū spiritus sanctus procedit
à filio. Huius cōclusioni fidem facimus pro-
latis diuinarum literarum testimonijs. Ioā-
nis itaq; 15. cap. ita continetur. Cum vene-
rit paracletus spiritus veritatis, qui ex patre
procedit, quem ego mittam vobis, etcq;. Iam
ergo ita licet argumentari. Spiritus sanctus
mittitur à filio, igitur procedit à filio. Con-
secutio hinc intelligitur, quoniam mittens
semper habet auctoritatem supra missum:
At omnis auctoritas in diuinis est secun-
dum originem, & secundum rationem dan-
tis & accipientis, igitur spiritus sanctus mis-
sus à filio originem ducit à filio.

Ioan. 16.

Secundus locus positus est Ioan. 16. ille
me clarificabit quia de meo accipiet. Ita er-
go licet argumentari: Christus testatur spi-
ritum sanctū ab ipso accipere, aut igitur ac-
cipit vt indigens, ac non habens, aut acci-
pit vt procedens: nō accipit vt indigens ali-
cuius & non habens illud, ita enim eueni-
ret vt spiritus sanctus esset indigentis natu-
ra, id quod pugnat cum diuina natura, cu-
ius etiam de sententia aduersariorum est
particeps spiritus sanctus, quidquid ergo ha-
bet ex filio spiritus sanctus, habet illud vt
procedens, procedit igitur de sentētia scri-
pturæ spiritus sanctus à filio.

Ioan. 17.

Tertius locus est apud Ioannem. 17. quo
loco ita dicitur, & mea omnia tua sunt, &
tua mea sunt. Iam ita licet argumētari, quid-
quid habet pater, habet filius, at pater habet
vim productiuam spiritus sancti, eandem
igitur habet filius, producit igitur filius spi-
ritum sanctum.

Roma. 8.

Quartus locus positus est apud Paulum
Roma. 8. & Galat. 4. Ac ad Romanos quidē
scribens sic ait. Qui spiritum Christi non
habet, hic non est eius, ad Galatas vero, mi-
sit Deus spiritū filij sui in corda nostra cla-
mantem, Abba pater. Iam ergo ita licet ar-
gumentari. Esse aliquid huius variē dicitur,
vel vt possessio, quomodo seruus dicitur es-
se domini, velut forma, sic figura, & effigies
dicitur esse æris, vel vt affectio, hoc modo
morbus dicitur esse corporis, vel vt conten-

Galat. 4.

tum incōtinente, sic locus dicitur esse eius,
quod loco continetur: & nauis vectorum, &
vrbs ciuium: & partes dicuntur esse totius,
nam partes in toto continentur. Postremo
aliquid dicitur esse alicuius vt producentis:
at spiritus sanctus non est alicuius vt pos-
sessio, non vt affectio non vt forma, non
denique vt contentū ab illo, est igitur alicu-
ius vt producentis, cū igitur esse dicatur spi-
ritus filij, sequitur vt originem ducat à filio.

Quintus locus positus est ad Heb. 9. quo
loco sic continetur. Qui per spiritum san-
ctum obtulit se se immaculatum Deo. Ita
de sententia D. Pauli filius operatur per spi-
ritum sanctum: iam sic licet argumentari,
Quādo aliquis operatur per alium vel ope-
rans vim agendi impertit ei per quem ope-
ratur, quomodo rex operatur per suos præ-
fectos, vel contra id per quod aliquis ope-
ratur tribuit vim agendi ei, qui operatur,
quomodo præfecti operantur per regem: cū
igitur filius operetur per spiritum sanctum,
omnino necesse est, vt aut spiritus S. vim
agendi filio tribuat, vel cōtra, illud prius di-
ci non potest, quandoquidē cū posse agere
essentiam cōsequatur, quicumq; tribuit vim
& facultatem agēdi, essentiā etiam largitur,
at spiritus S. non impertit essentiā filio, Nā-
q; filius non nisi patris est filius, relinqui-
tur igitur filium tribuere vim agēdi spiritui
sancto, ac proinde & essentiā. Ita ex ijs, quæ
in sacro canone formaliter continentur, a-
pertē conficitur spiritū sanctum à filio, quē-
admodum & à patre procedere.

Reliquum est, vt illud ipsum rationibus
quoq; conficiamus, principio ita licet argu-
mentari. Filius & spiritus S. sunt illi quidē
à patre, aut igitur ordine quodam, aut nullo
ordine, non quidem nullo ordine, partim,
quia vbi est multitudo sine ordine ibi est cō-
fusio, at in diuinis est multitudo extra cōfu-
sionē, est igitur ibi multitudo cum ordine,
partim, quia ab vno principio naturali non
procedit īmediatē nisi vnū, est enim modus
naturæ, vt vnū sit ab vno, quē admodū iā su-
pra docuimus: cū igitur filius & spiritus S. na-
turaliter à patre procedāt, efficitur vt ab ipso
proce-

Heb. 9.

Ex ijsque
in sacro
canone
formali-
ter conti-
nētur, e-
uidēduci-
tur spiri-
s. à filio
procede-
re. aliēno
Tho. 1. p.
36. art. 3.
Dur. 1. d.
11. q. 1.

* Itē D.
annes I.
mas. lib.
de fide
tho. c.
11. sic
spiritu
sanctū
ex patre
spiritu
patris
minan-
Ex. fi-
aut spi-
tum S.
dici mu-
sed spi-
tum fi-
nomin-
mus, igitur
tur pro-
dit ex
lio, con-
quenti-
patet e-
quarto
co scrip-
tæ sup-
posito,
iuxta n-
stram d-
ductio-
refuta-
tio. 1.
Isai. 4.

procedant, nō æque primo, aut immediatē, sed ordine quoda, aut igitur ordine, quo vnum est ab alio, qui dicitur ordo originis, aut ordine, quo vnū est post alterū, qui dicitur ordo prioris, & posterioris. Non hoc posteriori ordine. Nā omne illud, quod est prius altero secundū rem, aut est prius natura, aut tēpore, at filius non potest spiritū sanctum natura antecedere, cū sint eiusdē omnino naturæ, neq; tempore, cū sint coæterni, sunt igitur filius & spiritus sanctus eo ordine ex patre profecti, quo vnū est ab altero: at filius non est ab spiritu sancto, vt satis cōstat, & aduersarij concedunt, relinquatur igitur spiritum sanctum esse à filio.

Præterea, pater cōmunicat filio quidquid habet, eo dūtaxat excepto, in quo pater opponitur filio, quodq; repugnat personali distinctioni, at pater vim habet spirandi, & quoad hoc minimē opponitur filio, neque communicatio actiua spirationis repugnat personali ipsorum distinctioni, pater igitur cōmunicat filio vim & actionē spirandi. *

Postremo aduersarij illud nobis concedunt spiritum sanctū procedere à patre per filium, est igitur spiritus sanctus à filio. Cōsecutio firma est, nam id cuius interuentu aliquid producitur semper est principium eius, quod producitur. Cum igitur de sentētia Græcorum pater producat spiritum sanctum per filiū: sequitur vt filius sit principium spiritus sancti. Ita Græci suamet sententia coarguūtur, quam eandem minus vidētur intellexisse cum dicant spiritum sanctū esse à patre per filium, non esse tamen à filio.

REFUTATIO CONCLUS.

HAEC conclusio refellitur profligatis ijs rationibus, quibus est confirmata. Principio illa ratio sumpta ex missione actiua, quam diuinæ literæ filio attribuunt, non videtur habere multum virium. Nam etiam in literis sanctis missio actiua attribuitur spiritui sancto respectu filij. Est enim apud Isaiam 61. spiritus domini super me, propter qđ vnxit me, euangelizare pauperibus misit me: quā sententiā ad se retulit Christ⁹ Luc. 4.

Ratio etiam illa sumpta ex tertio Ioannis testimonio id quod est propositum minimē concludit, nempe quia & eadem argumentandi ratione effici potest patrem largiri filio paternitatem. Nam quidquid habet pater habet filius: at pater habet paternitatē, paternitatem igitur habet filius.

Postremo, quia in diuinis literis nunquā legitur spiritum sanctum procedere à filio, & in concilio Nicæno dicitur spiritus sanctus à patre procedere, nulla interim mentione facta ipsius filij, falso igitur ac temere videtur affirmari spiritū sanctum esse à filio, vtpote cui assertioni neq; sanctæ literæ fidē faciant, neq; sacra concilia suffragētur.

Quod vero ad rationes attinet, quibus ea sententia cōfirmata est, dicimus parum eas habere firmitatis. Nam quod ad primā rationem attinet, negari potest filiū & spiritū sanctum ordine quodam ex patre procedere, sed æque primū potius, & æque imediate. Ad probationē vero dicitur, ab vno principio naturali, eiusdem & vnus facultatis interuentu, non posse multa æque primum, & æque imediate procedere. Lōge tamen aliter se habet cū principium illud naturale multa profert diuersarū facultatū interuentu, tū siquidem æque primū & imediate per diuersas facultates potest diuersa producere. Licet igitur pater sit vnū agens, duplici tamen virtute, generatricē scilicet & spiratricē, duas personas producit, quarum vna ab altera minimē procedit.

Posterior vero ratio diluitur negatione maioris propositionis. Nā si illa propositio omnino recipienda foret, ex eo effici posset patre cōmunicare vim generandi ipsi spiritui sancto, nempe quia per generare solum opponatur genito, nō spirato, parum igitur virium vidētur habere illę rationes ad propositum obtinendum.

DILVTIO ARGUMENT.

NOBIS placet ex superioribus, cū testimonijs, tū rationibus cōcludi, spiritū S. à filio procedere. Ac primę quidē refutationi respondemus, filiū mitti etiā à spiritu sancto, non tñ qua Deus est, sed, qua homo est,

M 2 mitti

Refutatio. 2.

Refutatio. 3.

Refutatio prioris rationis.

Ab eodē principio naturali per vnam & eandē facultatē non possunt multa æque primum, & æque imediate produci, possunt tamen per diuersas.

Refutatio posterioris rationis.

igid. l. d. 11. q. 1.

* Itē D. Ioannes Damas. lib. 1. de fide ortho. cap. 11. sic ait spiritum sanctū & ex patre & spiritum patris nominam.

Ex filio aut spiritum S. nō dicimus, sed spiritum filij nomina-mus, igitur procedit ex filio, consequentia patet ex quarto loco scripturæ supra posito, iuxta notationem deductionē

refutatio. 1.

Isai. 61.

Ad 1.

mitti inquam ad euangelium euulgandū, qua ex parte filio inferior est spiritu sancto, & ab ipso procedens. **Diuus tamen August.** 2. de Trinit. in ea est sententia, vt dicat diuinam personam ab ea etiā mitti tēporaliter, à qua non procedit. Quocirca eodē authore hoc interest inter mittere, & mitti, quoniā mittere toti trinitati cōuenit, at mitti soli cōuenit personae procedenti. Ex quo efficitur vt diuinus pater nusquam legatur missus, quandoquidem à nullo sit.

Augusti.
Diuina persona ab ea etiā mittitur tēporaliter à qua minimè procedit.

Ad 2. Pater communicat filio omne illud in quo ei nō opponitur.

Secundam refutationem sic diluimus, vt dicamus, Maiori illi propositioni esse adiungendum, cuius alioqui oppositum non inest in filio, iam vero in filio inest aliquid oppositum paternitati, non itidē spirationi actiuae: ac proinde pater communicat filio vim spirandi, non paternitatem.

Ad 3.

Tertiae refutationi sic occurrimus, vt dicamus, spiritū sanctū procedere à filio, ex ijs colligi, quae formaliter in sanctis literis continentur. Adde, quia quidquid in diuinis attribuitur vni personae, intelligitur etiā attributū alteri, tametsi dictio exclusiua adiungatur, dūmodo non sit in ijs quae efficiūt, vt illa persona alteri opponatur. Cum igitur productio spiritus S. attribuitur patri, & in ea pater filio minimè opponatur, sequitur vt attribuaturs etiam filio.

Tho. 1. p. q. 36. art. 1. ad 1.

Qualis ordo in diuinis reperitur.

Quod vero attinet ad prioris rationis improbationē, dicimus accommodatē ad catholicam veritatē, omnino esse dicendū in diuinis personis ordinē reperiri, nā vbi est multitudo sine ordine, ibi est confusio. Cū igitur ibi non sit ordo, quo vnū est post alterū, sequitur vt sit ibi ordo quo vnū est ab altero, qui dicitur ordo originis. Adde, quia si spiritus S. i mediātē à patre procederet, ipsius emanatio esset generatio, ita fieret vt in diuinis essent duo geniti. Antecedens ex eo intelligitur, quia procederet per modum naturae, hoc est, vnus ab vno immediatē.

Ad posterioris vero rationis in firmationē dicitur, illi infirmationis nullam esse vim omnino: partim, quia pater etiam per generare opponitur spiritui sancto, sin minus i mediātē, saltem mediātē, hoc est mediante

genito. Id vero hūc in modū ostenditur. Pater generando cōmunicat filio vim spirandi, qua producit spiritus S. igitur per generationem etiā producit spiritus S. mediātē tamen, hoc est, mediātē virtute spiratiua cōmunicata ipsi genito per generationē. Consecutio firma est: Nam quod est principium prioris, est etiā principium posterioris, in ijs praesertim, quae inter se cohærent: in diuinis autē tametsi nullus sit ordo prioris, & posterioris, est tñ ordo primi, secundi, & tertij. Ex quo iam efficitur, vt eadē oppositione, qua pater opponitur filio, opponatur etiā spiritui sancto, mediātē tamen. Partim, quia communicatio generationis repugnat distinctioni patris ab spiritu sancto, quem ad modū & generari repugnat distinctioni eiusdē à filio. Ex quo iam efficitur vt generare & generari nō possint cōmunicari spiritui sancto. Cōfirmatur, quia propria vnus personae non possunt in altera reperiri.

Pater etiā per generationem opponitur spiritui sancto mediātē tamen.

Pater nō potuit cōmunicare spiritui sancto vi generandi, tum quia per generare eidē opponitur, licet mediātē, tum quia per generare ab eo distinguitur.

Q V AESTIO. 2.

Vtrum si spiritus sanctus à filio originem minimè duceret ab eo personaliter distingueretur?



Vltis visum est omnino nullam esse quæstionē, vtpote quia incompossibilia includat, nēpe spiritum sanctum esse, & non esse, esse quidem, quia data hypothese ponitur distingui, non esse vero, quia data hypothese ponitur non procedere à filio, ex quo illud consequitur, vt nullus sit spiritus sanctus: partim, quia sublato per se principio alicuius, tollitur etiā illud, iam vero filius est per se principium spiritus sancti: partim, quia pater se solo nō posset supplere productiuitatem filij, non enim filio non producente, pater produceret, siquidē omnis operatio trinitatis ea, quae non repugnat distinctioni personarū, est indiuisa: si igitur spiritus sanctus non procederet à filio, nullus esset spiritus sanctus. Quocirca querere vtrū si spiritus sanctus nō

Gottfred quodlib. 7. q. 4. **Greg. 1. d.** 11. q. 1.

Quæstio inquires an ne si spiritus sanctus non procederet à filio ab eo distingueretur, inducit incompossibilitatem.

procederet à filio, ab eo personaliter distingueretur, per inde est acsi quareretur, vtrū si spiritus sanctus non esset, à filio nihilominus distingueretur, ac proinde esset, quæ ipsa quæstio est incōpossibilis. ¶ Adde, quia sublata actiua spiratione à filio, filius nullus est, quemadmodū sublata animalitate ab homine, nullus est homo, igitur quærere, an ne si spiritus sanctus non procederet, et cæ. tantundem est, acsi quareretur, vtrū si filius nullus esset, spiritus sanctus nihilominus ab eo distingueretur.

Scotus. i. d. ii. q. 1. duobus modis posse ait poni positionē includentē incōpossibilia, vno modo absolutē, veluti si poneretur hominē non esse animal, altero modo hypotheticē, sine ex adiūctione, veluti si ita poneretur: vtrū si homo nō esset animal, rationalitas hominē ipsum ab omnibus alijs secerneret: priori igitur modo, inquit Scotus, non licet ponere positionē includentē incōpossibilia, posteriori vero modo licet, vt exquiratur verialiquid, de quo ambigitur: veluti si addubitaretur, esset ne rationalitas præcisa & adæquata ratio distinguendi hominē ab omnibus alijs, posset in quæstionē vocari, vtrum si homo nō esset animal, rationalitas ipsum ab omnibus alijs secerneret, quia in quæstione non absolutē & simpliciter ponitur hominē non esse animal, sed hypotheticē, siue ex adiūctione, vt exquiratur sit ne rationalitas præcisa ratio hominem ab omnibus alijs secernens, & distinguens.

Sic res habet in proposito, inuestigatur si quidē formalis ratio distinctiua spiritus sancti à filio, siue filij ab spiritu sancto, an ne sit filiatio, an spiratio. Id igitur vt perspiciatur sic proponitur, tollatur per possibile, aut impossibile spiratio actiua à filio, iam quæratur an ne filiatio ipsa remanēs filiū ipsum à cæteris diuinis personis distingueret, an non? Adde, inquit Scotus, quia positio huiusmodi non tollit rem subiectā, hoc est, spiritum sanctū, Nam cōcessa & admissa hypothesis, adhuc spiritus sanctus extaret, vt qui à patre perfectē procederet.

Admissa igitur quæstione, ea tractari pōt

duobus modis, siue subduplici sensu. Prior sensus est humōl. Vtrū præcisa ratio distinctionis filij ab spiritu S. in eo posita sit, vt filius spiret, & spiritus S. spiretur ab eo, id vero vt inuestigetur, quæratur posito impossibili, nēpe quod spiritus S. à filio non procederet, vtrum filius adhuc personaliter distingueretur ab eo? sub hoc sensu tractatur hæc quæstio à Scoto, Ochamo, Alfonso. i. d. ii. q. 2. q. 1.

Posterior tractandæ huius quæstionis ratio ad refutationē Græcorum pertinet. Vocatur siquidē in quæstionem, vtrū ex eo, quod spiritus S. personaliter à filio distinguitur, sufficiēter concludatur, spiritum sanctū ab eo procedere. Nam illud prius Græci cōcedunt, hoc vero posterius omnino negandū putant: negant siquidē hanc consecutionē: spiritus S. personaliter distinguitur à filio, igitur procedit ab ipso, catholici vero de firmitate illius consequentiæ etiā inter se dissentiunt. Sunt enim qui consecutionē illam firmam omnino esse putent: id quod ex eo volūt esse persuasum, quia si nō procederet spiritus S. à filio, ab eo minimē distingueretur. Alij vero nihil habere firmitatis existimant illā consecutionem, vt qui putent spiritū sanctum à filio personaliter distingui, etiam si ab eo minimē procederet. Hæc igitur oīs cōtrouersia est explicāda. ¶ D. igitur Tho. i. p. q. 36. art. 2. Egid. i. d. ii. q. 3. Dur. q. 2. omnino confirmant firmam esse illam consequentiā, vsq; adeo, vt sublata à filio spiratione actiua, nulla sit inter filiū & spiritū sanctum distinctio personalis, id vero his rationibus volūt esse persuasum. Si spiritus sanctus non procederet à filio, spiritus S. nullus esset: igitur ab eo minimē distingueretur. Antecedens ostenditur. Spiritus S. illud sibi vendicat, vt originem ducat à filio, igitur si spiritus sanctus à filio non procederet, spiritus sanctus nullus esset, consecutio firma est, antecedens ostenditur. Spiritus sanctus procedit per modum voluntatis vt amor, filius autem per modum intellectus vt verbum, at amor rei cognitæ procedit à verbo, siue conceptione rei intellectæ. Nihil enim diligitur, nisi quod mentis con-

M 3 ceptione

Duplex sensus quæstionis.

distinctionis

Spiritus sanctus si non procederet à filio, ab eo minimē distingueretur. i. ratio.